



**In Epistolam Ioannis Apostoli Catholicam primam, Ioannis  
Oecolampadij demegoriae, hoc est homiliae una & XX. denuo  
per authorem recognitae.**

<https://hdl.handle.net/1874/428169>

# INEPISTO

LAM IOANNIS APOSTOLI

*Catholicam primam, Ioannis Occolampadij demegoriæ, hoc est homilie una & XX. denuo per authorem recognita.*



ANNO M. D. XXV.

REVERENDISSIMIS DOMINIS

Christophoro episcopo Basilien. & Nicolao à  
Diesbach eiusdem coadiutori, Ioannes  
Oecolampadius Gratiam & pa-  
cem in Christo.

Superiori anno, Præsules ornatissimi, sub aduentum natalitiorum Christi, efflagitātibus fratribus, epistolam Ioannis catholicam, demegorijs aliquot, uel si libet homilias dicere, coram populo explanauī. Videbatur enim hæc æuo nostro bene inculcanda Christianorum mentibus. Quoniam hodie fidelem quidam magnificè laudant, ipsi expertes fidei, operumq; nullam habentes curam: alij uero iustitiã, quæ fides est, operibus tribuunt, Hypocritæ nimirum, & simij sanctorum: & cum boni ac iusti per fidem nõdum euaserint, iustis et bonis gloriari solēt operibus. Præterea Christiana quædam dogmata passim ab indoctis damnari cœpta sunt, quæ retractari facile poterint, si relictis alijs, pure sacras tractaremus literas. Porrò quia in hac epistola, tanquam enchiridio quodam, & qualē fide, & quæ fidei opera esse oporteat, & quid de plerisque super quibus contrahitur, sentiendum docetur: dcirco eam lubens in manus suscepi: & sicut tunc tumultuaria opera collecta fuit, ita nunc quoq; instigantibus nonnullis, qui interpretatē me audierant, typographo concedidi excudendã. Vestris autem potissimum

10. OECOL. EPIST. NVNC.

tissimum amplitudinibus offerendā duxi, tametsi for-  
 tasse nonnullis uideri possem, ut nunc sese habent tem-  
 pora, parū officiose illud agere: at ego iustissima causa  
 motus fuerim. Neq; enim in nūcupandis libris specto,  
 quæ pleriq;. Nam haud rarò uenantur illi sua, & pri-  
 mi apud magnates haberi desyderant. Equidē ut prin-  
 cipes propitios ac beneuolos non contempserim, nūc  
 tamen amplius quiddam testatum uellem, nempe me  
 Euangelij Christi neq; pudere, neq; docere clandesti-  
 num quiddā, quod tenebras amet, uel de quo rationē  
 reddere non sim paratus. Quod tam gratum uestris  
 reuerentijs fore polliceor, ut spes mihi bona sit, etiam  
 calculo uestro, quæ Christianē docentur, ut episcopos  
 decet, uos approbaturus, sicubi mei mentio inciderit.  
 Interim spero, & pessimis mortalium calumniatoris  
 bus, aurium uestrarū benignitate abutendi uiam præ-  
 clusum iri, qui in nullas non principum aulas etiam nō  
 inuitati irrumpūt, et priuati sui commodi gratia, in-  
 cōperta pro certis, falsa pro ueris, ficta pro factis nar-  
 rant: maxime autem uerbi dei declamatoribus infen-  
 si sunt. Nec mirum, quādoquidem nec Christo peper-  
 cerūt eorū patres. Estq; nunc rumor, alienatos nonni-  
 hil etiā uestros animos tum à me, tum à fratribus, qui  
 pure hic annūciamus Euangelium, atq; ad eò ut susce-  
 sti habeamur, tanquā cauponātes uerbū dei: id quod  
 uotis omnibus maxime deprecamur, si quid aliud. Pro-  
 inde operæ precium mihi uisum est, gustum aliquem et



IO. OECOLAMPADII

specimen eorū quæ doceã (neq; nõ alios eadẽ docere crediderim) uobis exhibere: quo posthac recte agnoscatis, quã impudentes illæ frontes, quãq; maledicæ linguæ. Quibus nimirũ improperatũ sit, si quid uel de nobis, uel de doctrina nostra sinistre senseritis. Nã uos, siquidẽ episcopi estis, & plebis uestræ spiritualia cõmoda queritis, fauore operarios uerbi nõ prosequi non poteritis: tantum abest, ut tyrannicum quippiam uel cõgitatione cõtra nos decreturi sitis. Atqui ut uestra nota est clementia: ita & improba, ac irrequieta illorum non est occulta malignitas. Noua nos docere clamant, Quid obsecro noui docemus, qui nihil quod sacris scripturis doceri nequit, recipimus? Proh pudor, eõ ne deuenerũt Christiani, ut prophetarum apostolorumq; doctrinam tanquam nouitatẽ, & nuper inuectam abominẽtur? Quod si illorum insuetã docemus auribus, cur nõ imperitiã suã potius arguũt quã doctrinæ nostræ nouitatẽ, nos iuidiosos reddendo? Patrum auctoritatem à nobis cõtemptam multis exaggerãt. Est ne aliquid sanctius à patribus demandatum, quã ne quid citra canonicæ scripturæ auctoritatem, uti à suspitione prorsus alienũ, reciperemus? Et ecce hac obedientia summa, & quam unice à nobis requisierũt patres, meremur, ut inobediẽtiæ & arrogantie arguamur. Cur item mentiũtur nos uti seditiosos conari, ut omnis ordo pessum eat, & susq; deq; feratur? Christum principem pacis, auditorũ cordibus instillamus,

## EPIST. NVNCVPATORIA 3

instillamus, ordinationi quæ à deo est, non resistendum  
 grauibus æterni iudicis interminamur minis, uerbum  
 dei pro lucerna in hac uita habendam monemus: & fe-  
 ri ne potest, illinc seditionis oriri incendium? Scopus  
 noster est, plebi Christum notiore, antichristum abomi-  
 nabile reddere, ad ueritatis amore inhortari, tenebra-  
 rum opera dissolucere: & quid magis necessariu in ho-  
 minum uita? quid usq; adeo præceptu nobis à domino?  
 Iam si quod præceptum à domino, recte facimus, cog-  
 mur absq; personarum delectu, & cleri & plebis stu-  
 penda flagitia detegere: quod nimiru multos male ha-  
 bet, et maxime eos quibus opus acriori increpatione.  
 Taxare autem debemus, & non possumus nisi quæ ta-  
 xanda sunt uitia manifestemus. Vos autem scitis, & non  
 dubito, quin tamquam episcopi doleatis, nos nimiu uere  
 carpere, quæ ob subditoru duritiã fortassis emẽdare  
 non potestis. Quod si uera sunt, quæ taxamus, ut sunt  
 uerissima, et taxatu dignissima, neutiquã erunt noua,  
 neutiquã erunt reticenda. Porro si non reticenda, sed  
 debemus, sicut spiritus sanctus per prophetam iubet,  
 exaltare ut tubã uocẽ, et annũciare scelera: neutiquã  
 seditiosi, neutiquam pietatis euersores, neutiquam pa-  
 cis publicæ perturbatores, neutiquã inobediẽtiæ do-  
 ctiores erimus. Cur non potius innocentia uitæ faciunt  
 ne quod in se dictum, in se dici credi possit? Tot sunt in  
 templis nundinationes, auaritiæ, fastus, idololatriæ,  
 abominations: tanta sacramentorum est cõspurcatio,

IOAN. OECOLAMPADII

Tantus traditionum acervus, tanta ceremoniarum inundantia: tot conscientiarum laquei, tot extraneæ doctrinæ: & nondum ad species descendendo: quæ omnia spiritus sanctus præuidens, multo antea per scripturas indicauit futura: nos ea quomodo scripturas interpretantes, dissimularemus, nisi & alienorum peccatorum esse uelimus participes? Et si quidem essemus canes, uel muti, uel adulaces, iure optimo uos scripturis, & spiritus sancto freti, è templo nos eijcere deberetis. Nunc autem cum libere officium nostrum facimus, cum diabolum ex Christianorum pectoribus eruere, et insere re Christum nostra est sollicitudo, cum instaurandi templi dei, & extirpandarum zizaniarum falce uerbi nobis cura est, non audiendos à uobis eos qui ueritatem egre audiunt, mutamq; uellent, confidimus. Paulus sanè in medijs uinculis gaudebat, et gauisurus erat siue occasione, siue ueritate annunciaretur Christus, etiam sui capitis periculo, ipse sexcētis alijs ad docendum magis idoneus. Igitur et nos, qui pseudoprophetarū scelera detegendo aperimus, uel quomodo quàm proxime Christū accedere oportet, ueris pastoribus exosos esse non oportet. Talem autē, et tam innoxiam nostram esse doctrinam, opinor, bonam partem plebis quæ audit, testificaturam. Tantum lupi nos odere qui in clamari timent, quò Christi oues uobis concreditas impune deglubant. Esto autem quod illorum authoritatem confirmet superciliosi quidam è senatu uersitatis

EPIST. NVNCVPATORIA.

*versitatis Basili. qui publicis edictis, alijsq; machinationibus, nobis in rebus pijs negocium fecerunt impie. Eandē tamē quam illi merētur fidē. Verus est enim syncretismus. Traducitur quippe & illorum inscitia toto orbe, quod Euangelium ne à limine quidem recte solutarint, et feliciter neq; docuerint, neq; docere potuerint: cumq; de clauē glorientur scientiæ, ipsi in regnū scripturæ nec intrent, nec alios intrare sinant. Iam nemo est, qui non improbet in eis, quod ad reddēdam rationem fidei publicē semper terga uerterint prouocati. Nemo dignā Theologis crediderit excusationem, qua Rhom. sedis obedientiam prætexuerunt, contempta fratrum & plebis expectatione. Quare igitur illis ut uiris grauibus accommodarētur aures? At hæc trāseant. Multo satius enim non mordere mutuū, sed infirmos in spiritu lenitatis instaurare. Ego sanē auspicante deo, in hoc meo officio defuturus sum minime. Doceāt et discā ego, aut me docēte discāt ipsi: regnet autē uerbū domini ac iudicet. Hac ratione nemini ex spiritualibus suum auferretur ius, nemini cōquerendi patebit cāpus: proferant si habēt in demegorijs illis quod carpendū. Quæ scripta sunt, ea scripta esse inficias ire non potero, scriptis & ipsi scripta cōuellant, idq; simpliciter & absq; contendendi studio, quemadmodum & illa populariter ad populum declamata fuerunt. Veritatem enim quam plurimis notam reddidisse, proxima ad pacem uia fuerit. Atq; his de causis, hæc lucis*



IO. OECOL. EPIST. NVNC.

brationē V. R. Dominationibus dicare nō erubui, quā  
et mea et fratrum, qui similia docent, innocentia ab  
obtrektorum morsibus vindicetur, siquidem ab illis  
tutum est aliquid. Deniq; precor Christum, ut gregi  
uestro nemo non contingat tam non damnosus, quā  
ego. Animus profectō meus nocere nulli, prodesse o-  
mnibus cupit. Precor item, ut omnes uestri pastores  
me multis nominibus uincant sedulitate, fide et gra-  
tia, quantulecunq; dotes illae in me sunt. Vos quoque  
precor, in Christi gratia perseuerare semper.

Basilica, Anno 1 5 2 4. Mense Iunio.

IN EPISTO.



# IN EPISTO

LAM IOANNIS CATHOLICAM

DEMEGORIARVM IO. OE

COLAMPADII LIBER.

DEMEGORIA PRIMA.



Vemadmodum infirmi corpore,  
libentius nos illorum medicorū  
curæ submittimus, qui artis suæ  
peritiores sunt, & in quos maio  
rem fiduciam tutò collocamus:  
ita et anima ægroti, ad eos recte  
diuertimus doctores (nā hi spi  
rituales sunt medici) de quorum erga nos fide dubita  
mus nihil, & quos cœlesti scientia præ alijs cognosci  
mus esse præditos. Et id genus apostoli quidem sunt  
omnes, quibus dominus noster Iesus uirtutem dedit sa  
nandi, non corpora tantum, sed & animas. Ioannes au  
tem apostolus, cuius nunc epistolam catholicam suscipi  
mus explanandā, ut in plerisq; ita et in hac medēdi ra  
tione præcellit alios. Atq; ita nobis commendatur, nō  
solū suis operibus, Euangelio inquam, et epistola, quæ  
& ipsa purissimum est Euangelium, sed etiam aliunde,  
& id multis argumētis. Nam quis de fide eius dubita  
rit, cui in cruce Christus ipse matrem, non sine myste

Ioānis apo  
stoli laus.

IN EPIST. IO. PRIMAM

rō commendauit? Quis non eminētem ei diuinarū re  
 rū noticiā tribueret, qui & super pectus Christi recu  
 buit, et ad secretissima quæq; admissus est? Spectauit  
 enim & gloriam Christi in monte, spectauit iterum et  
 sudantem in horto sanguinem: affuit cum suscitaretur  
 Iairi filia, & ubiq; cum primis est. Porro siquādo con  
 fertur cū Euāgelistis, dum alijs alij terrenis cōparat  
 tur animantibus, ipse aquilæ in sublime uolanti. Suauit  
 tatem morum eius quidam ex orationis deprehendūt  
 charactēre. Nec inficias eo bonis sermonem eius blan  
 diorem uideri: at non item malis, aduersus quos zelo  
 haudquaquam caruit, siue uitam, siue doctrinam eius  
 intropicias. Et fortassis sicut Paulum hodie nonnulli  
 uellēt proscriptum, ita & Ioannis authoritatē egre  
 ferent. Nec mirum: nam ueritatis hostes, ueritatis di  
 scipulos amare quomodo possent? Etenim apud Lucā  
 deponit ignem de coelo, qui consumat Samaritanos  
 Christum excludentes. Vere dictus filius tonitruui, hoc  
 est tonans, tum quod impios eloquio suo terreat, tum  
 quod non de humo loquatur: neque sicut hi qui pytho  
 nem inhabitantē habēt, Esaiæ 29, sed de coelo tonet, et  
 coelestes nobis proferat doctrinas. Felix tonitruum:  
 fundit enim pluias, quæ cordis nostri terram socun  
 dam reddunt, multipliciq; prouentu locupletāt. Cete  
 rum quā erudita, piāq; ac sancta doceat, et quā me  
 rito Theologi nomen sortiatur, ex epistola ipse abun  
 de liquidum erit, quam nunc legamus.

DE MEGORIA PRIMA.

IO. APOSTOLI EPIST. PRIMA.

CAPVT PRIMVM.



Quod erat ab initio, quod audi-  
uimus, quod uidimus ocu-  
lis nostris, quod spectauimus,  
& manus nostræ con-  
tractauerunt, de sermone uita-  
e, & uita manifestata est: & uidimus &  
testamur, & annūciamus uobis uitā illā  
quæ æterna, quæ erat apud patrē, & ma-  
nifestata est nobis. Quod uidimus & au-  
diuimus, annunciamus uobis: ut & uos  
communione habeatis nobiscum, &  
communio nostra (sit) cum patre, & cū  
filio eius Iesu Christo. Et hæc scribimus  
uobis, ut gaudium uestrum sit plenum.

Hæc procerij loco præmissa sunt. Et miratur for-  
tasse quispiam, quare præter morem apostolicū omit-  
tatur saluatio. Nusquam enī inuenies in epistolis ne-  
gigi salutationis officium, præterquam in hac, &  
ea quæ est ad Hebræos, quæ tamē authoris incerti est, *Saluatio*  
At neminem id iure offenderit, præsertim quod domi *quare præ-*  
nus tantam in uerbo diuino annūciando indixit acce *termiffa.*  
lerationem, ne uel obiter quempiam salutarēt aposto-  
li. Vides autē & hoc loco festinātiā illā. Nihil de-

IN EPIST. IO. PRIMAM

syderatius habet, quàm ut promissiones mox in sinus transfundat fidelium, nec moretur salutatione. Mira in hoc apostolo alioquin est celeritas: prior enim festinat ad monumentum. Itaque non desyderatur hic salutio, quinimmo impetratum, quod precari in salutatione solemus, nunciatur. Et utrum amplius censes, precarine an annunciare salutem? utique, annunciare. Precantur plerumque amici, quæ nobis nunquam obuenient; nec obuenire possunt. Verum qui annunciant, plus aliquid asserunt, quàm salutantes. Unde propheta, speciosos pedes dicit Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona: non inquit, salutantium uel imprecantium. Igitur statim in epistolæ exordio, nihil necessariū intermittit, sed bona ineffabilia, & maxima, nempe Iesum Christum, ipsam æternam uitam, communionem cum deo & omnibus sanctis, atque in summa, gaudium plenum nobis annūciat offerri, nisi nos respuamus. Proinde cui sunt aures audiendi, tam læta tamque iucunda, quæ non audiret? Porro in ipso limine, altitudinem certitudinẽque scientiæ suæ ostendit, et quasi cœleste quoddam tonitru insonans, summa se daturum promittit.

Quod erat ab initio.) Annō arduum libri principium? quod quisquis intelligit, nimirum faciem suam cum Seraphim præ claritate maiestatis obuclabit. Varrat aliquantulum à principio Euangelij sui. Ibi dicit, In principio erat uerbum, uel sermo: hic autem, Quod erat à principio, Filium dei illic certa ratione λόγον nominans,

Quare non  
ponit nomē  
uerbi.



nominans, hic autem absq; nomine insinuat, nimirum nō habens quo illum appellet nomine. Ineffabilis enim creaturis omnibus est diuina natura. Et neq; filij, neq; uerbi nomen per omnia dei filio congruit. Tantum describitur & Xp̄o uocille, qui super omnia tempora. De illo uidere certius quiddam, quem non iuuaret?

Quod audiimus, quod uidimus oculis nostris, quod spectauimus.) Dices: Infirmior nostra natura est, quā ut de diuinitate quicquam loqui uel intelligere ualeamus. Tantam solis claritatem non ferunt oculi nostri. Vera sunt hæc: sed ineffabilis ille & captum nostrū transcendens, sese infirmitati nostræ attēperauit, ac cognobile fecit, caro factus. Proinde quia illū Ioannes ipse uidit, & spem nobis facit cōtueri posse. Interī et hoc uult: Nō incerta loquemur, sed cōperta. Ipsi audiuius. Et ne putes nos auditu falsos, etiā uidimus: et nō solum ut prophætæ, qui uisione imaginaria, uel apparentia quadā uiderūt deū: sed et ipsis corporalibus nostris oculis perspeximus. Hic obuiā ire potes tyrannus quibusdam, qui canonicas scripturas condendi ius sibi arrogat, dicentes: An non & nos apostolorum idē ius condendi canonicas scripserunt, sicut & nos? Fuerunt quidem & apostoli homines, sed non afflatus: non sua cōmenta prodiderunt, sed quæ uel oculis Episcopalis uiderant, uel à domino acceperāt. Unde et hoc tantis quod scripto Ioan. commemorat, quod uiderint & audierint apostolis.



IN EPIST. IO. PRIMAM

vint. Lucas quoq; in prooemio dicit: Sicut tradiderunt  
ij qui ab initio suis oculis uiderant, ac pars aliqua fue-  
rant eorum quæ narrabant. Isti autē qui tot seculis se-  
quuti sunt, et neglectis scripturis somnia statuere au-  
dent, inter pseudoprophetas connumerari possunt.

Et manus nostræ cōtrectauerūt de sermone uitæ. )  
Non solo oculo, & aurium auditu cōprehendisse con-  
tenti fuerunt apostoli, sed & manibus palparunt, &  
contrectarūt Christū, qui à mortuis surrexerat. De  
sermone uitæ, hoc est iuxta tropum hebraicū, an ue-  
re uiua quædam res esset, uel phātaσμα, is quem cru-  
cifixeraut Iudæi, & resurrexerat. quasi diceret: Eti-  
am ipsi non tam leues, et faciles ad credēdum fuimus,  
imò tam obstinate increduli eramus, ut pro uitio in-  
credulitas nobis obiecta fuerit.

Et uita manifestata est, & uidimus & testamur. )  
Palpādo comperimus. siue uitam illam substantialem  
esse carnem factam, hoc est apparuisse in carne. Siue  
etiam de resurrectione exponere placet. Vidisti cer-  
titudinem rerum, de quibus dicturus est, uide magni-  
tudinem consequenter.

Et annūciamus uobis uitā illā, quæ est eterna, quæ  
erat apud patrem, & manifestata est nobis. ) Non  
tantum salutem, & uulgarem quandam uitam appre-  
camur: sed si audieritis, ecce per illum quem uidimus,  
eterna uita uobis cōtinget. Christum enim assequi po-  
terimus, qui deus est et homo, qui ipse uita est, per quā  
uiuimus.

DE MEGORIA PRIMA.

uidimus. Deitate autem signat dicens, *Que erat apud patrem: humanitatem uero, dicens, Manifestata est.*

Quod uidimus et audiimus, annunciamus uobis, ut et uos societatem habeatis nobiscum, & communio nostra (sit) cum patre & filio eius Iesu Christo. Et hæc scribimus uobis, ut gaudium nostrum sit plenum.)

Non frustra repetit. Imbecilles enim conscientie nostre multum egent, ut erigantur in fide, & ut omnis absit suspicio fraudis. Vnde hic si obijceret temerarius: *Quid ad nos, quæ uiderint apostoli? ei respondet:*

*Nos quidem uisione Christi beati essemus, quatum ad nos attineret: uerum non sinit charitas nos salute nostra contentos esse, sed urget ut & uestram salutem quaeramus.*

Proinde nullis periculis præpedimur, nullis laboribus, tribulationibus, mortibusq; cedimus: annunciamus et uobis, cupientes & uos quoque beatos, ut et nobiscum habeatis societatem, sitisq; et uos discipuli, sitis ciues coelestis Hierusalem, et participes uitæ æternæ.

Et non solum societatem habeatis cum patre & filio, sed & maneatis in deo per fidem, & ille in uobis maneat efficiendo uos filios dei. Igitur non quaerimus aurum uestrum, non quaerimus uos redigere in seruitutem: nolumus graui onera uobis imponere: hoc enim non apostolorum est. Scribimus autem & testamur,

ut plenum habeatis gaudium: non umbratile, quale habet stultus ille mundus, quod paulo post uertitur in tristitiam: sed uerum, solidum, ac perpetuum, regnauit

IN EPIST. IOAN. I.

Scopus epi te in uobis Christo. Scopus autem totius epistole, me d  
stole.

sententia, est ut habeamus cōmunionem cum patre ac filio, atq; per hoc cum omnibus sanctis. Simile gaudiū et angelus pastoribus annunciabat, dicens: Ecce Euangeliizo uobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est uobis saluator mundi. Et nunc per id temporis, memoriam habemus aduentus dominici, quo uerbū ineffabile, propter nostram salutem factum est caro. Reliquū autē, ut quemadmodū illi trāsierūt, qui uigilauerūt noctē, in Bethleē: ita & nos uigilias mētis seruātes, repulsis malis cogitationibus arrogantie, inuidiæ, malæ concupiscentiæ, fide arripiamus uerbum, quod uobis annunciatur, expendētes quantū sit, & quān necessarium, quo & nostrum gaudium perfectum fiat: quod erit perfectissimum, habitante & regnante in pectoribus nostris Christo: ut quum iterum uenerit, sicut promisit, & nos ad se accipiat, Amen.

DE MEGORIA SECUNDA.



Aud opus est, ut nunc denuò in laudibus diui Ioannis uersetur, neq; heri opus erat. Quæ enim per se laudem merentur, pulchra apparent etiam nullo cōmendante: & nonnunq̄ laudum fūco magis obscurātur quā ornātur. Matronā honestæ formæ turpant cerussa & cultus immodicus. Sed heri dabamus hoc principio, quod admonebat, ne sublimem eius doctrinā, & indubitātā fidem obticere

nus. Nūc aliud præfari sollicitudo cogit, quod et ipsum  
 ad laudem nostri Euangelistæ attinet, & inimicōū no-  
 strorū dolos et insidias, ac malignitates aperiet. Solēt  
 diaboli, si quam rem hominibus maxime utilē, dignissi-  
 mamq; uiderint, quæ cōmendatior sit, q̄ ut inuisa red-  
 di queat, nouas artes quærere, ut usus rei ignoretur,  
 negligatur, uel saltē obscuretur & mutetur, ipsa re in  
 admiratione manente. Vnde fit, ut quæ plurimū pro-  
 sunt institutione, nociua fiant usu. Exēpla in promptu  
 multa sunt. Quid mysterio crucis salubrius, ac glorio- Diaboli  
 sius, & quam rem superstitioni, & hypocrisi intantū fraudes ite  
 seruire faciunt? Quid sacramēto eucharistiæ dignius, rebus sacra  
 & in quantum abusum peruenit illorum operationi- tissimis.  
 bus? Quis ignorat, quāta abominatione illud prophā  
 nantes simoniaci & hypocritæ, iram dei in nos prouo-  
 cant? Sic dæmon sæpe expertus, & gloriam Euāgelij  
 præsertim eius quod Ioannes scripsit, quum uictus ob-  
 scurare non posset, hoc effecit technis suis, ut homines  
 Euangelij nomē magnificarent, aureis literis scribe-  
 rent, super pectora gestarent, ad lectionem eius thus  
 adolerent, candelas accenderent, pulpitum purpura  
 ornarent, multa lectioni non intellectæ tribuerēt: ut-  
 pote quod grandines & tēpestates agris depellat, &  
 amuleti loco sit, puerperas tueatur à demonijs, tem-  
 poralem felicitatem afferat. Quæ omnia cacodæmon  
 tranquillo animo ferre potest, et ad hæc plerosq; forsi-  
 tan instigat, ut in his hæreant mētes hominum, & uti



IN EPIST. IO. PRIMAM

litatem, quam oportebat, inde non reportent. Nō terretur enim usq; ad eō litera, quæ occidit, contremiscit autē sensum & spiritū Euangelij. Ille enim eū omnibus suis armis et spolijs exuit, ligat ac torquet. Igitur admonitos uelim, si admirabile uobis & dulce est Euāgelium, ne solum literæ corticem amplexemini, sed spiritū quoq; fide capiatis. Ita enim hostem uincere licebit: ita nō solū grandines, et aquæ, sed nulla quæ in hac terra sunt, nocere poterunt homini, qui per fidē Euangelij nō ultra huius mūdi homo est, sed ad aliud perinect seculum: & per Euangelij uim nauicifacit quicquid stupet ac admiratur mundus. Id qđ dæmonibus saluti nostræ semper inuidētibus, quouis fulmine itolerabilius fuerit. Id uere male habet hostes nostros, ad alia cōniūct facile. Quāuis autē sepe numero compertum sit ad nudā sanctorū uerborum nūcupationē, uel ad nō intellectam Euangeliorū pronūciationem illos fugam iniisse: obsecro ne propterea facile credideris abesse dolos aduersarijs. Nam et fuga eorū non caret insidijs. Satagit enī, ut fidē in parua hæc habeas, et nō in deū: fiasq; pro religioso & pio superstitiosus, ac impius, aut saltem neglectis sanctioribus, occuperis in contemptioribus. Esto tamen ut alia quædam, demonum inquam fugæ, tempestatum, aliorumq; aduersorum depulsio, nudorum uerborum prolatione contingant, salua hominis fide, ut fieri hoc posse non negē. Accedet igitur & inde non nihil ad gloriam nominis Christi et Euangelij eius.

Sed



DEMEGORIA SECVNDA. 10

Sed heus dæmon, si uere fugis, & te mortua litera ita  
 terret ac uincit, quid nō faciet uiuificās spiritus? quan-  
 to terribior imperans tibi ore suo dominus? Sin non  
 uere fugis, sed fugam simulas, ut uerisimile est: nam &  
 ipse scripturarum testimonijs abuti non trepidas: quid  
 aliud suspicandum, quàm hac fuga meliora te nobis in-  
 uidere, nempe ut hæreamus & mordeamus etiam  
 nos cum serpente terram, hoc est literam, et non in spi-  
 ritu ac ueritate deum cum angelis cognoscamus, &  
 laudemus? Nōne hoc machinaris, ut condemnabili-  
 ores facias nos Iudæis? Illi enim tenentes libros legis,  
 Christum nō inueniunt, nos inuentum etiā amittimus.  
 Adest ori uerbum domini, abest à pectore spiritus,  
 dum mundana nondū contemnimus, cœlestiaq; neuti  
 quam desyderamus, sed nobis placemus, quod diserte  
 & acute de rebus diuinis loquamur. Et ita gloriosum  
 esse Euangeliū arbitramur. Verū in hunc modū uides  
 & dæmonem seruire Euangelio, ut salua sit Euangelij  
 maiestas, tantum usus eius pereat, & inde nos maiori  
 condemnationi simus obnoxij. Itaq; ne fallamur. Re-  
 gnum dei non in sermone est, sed uirtute: demus ergo  
 operam, et deum precemur: ut insideat uerbum dei in  
 intimis præcordijs: atq; ita insideat, ut & dæmonum  
 tenebræ dispellantur, et illius operatione quotidie in-  
 nouemur. Ecce quot tenebras, quot hæreses, quot dia-  
 bolicas præstigias hesternæ tantū lectio detegit, et cō-  
 futat, modò animaduertamus. Nō poterint euadere

IN EPIST. IO. I.

- Ariani.** miserrimi hereticorū omniū Ariani, filium patri cō-  
ternum negantes: quando quidem nullum tempus dari  
poterit, quo nō fuerit, qui iam in initio erat. Vere pat-  
**Ebionitæ.** peres sensu declarantur & Ebionitæ, qui deum fateri  
nolunt Christum, quoniam Christus uita æterna illa  
**Manichæi.** apud patrem. Vbi delitescunt Apelles & Manichæi,  
qui phantasticum Christum imaginātur? quum toties  
cōmemoret Euangelista uisum & auditum, atq; ad e-  
manibus contractatum illum qui ab initio erat: an non  
mente moti iuxta nomen suum dicendi? De gentiliū  
**Iudæi.** stultitia, & Iudæorum perfidia nihil attinet dicere:  
qui erim recipiunt Euangelium, iam olim illorum re-  
nunciarunt erroribus. Illas quidē suas phalanges pro-  
sterni dolet diabolus, sed nihilominus inuictus, nouos  
subinde educit exercitus, ac truculentiores, & magis  
dolosos: si uerbum diuinum uere amaueritis, corruent  
& concidentur etiā illi. Et quæ illæ nouæ acies, & no-  
ua agmina? nō ita noua sunt, sed prostratis superiori-  
**Fidei nomi-** antur. Et quæ sunt? audi. Sunt qui solo fidei nomine  
**ne glorian-** gloriantur, & omnia Christianorum, uti charitatem,  
**tes.** patientiam, humilitatem, modestiam, sobrietatem, ac  
similia profus negligunt. O quot milia in hisce ca-  
**Noui Pela-** stris demonū morantur. Sunt alij qui externis operi-  
**giani.** bus diuites, ceremonias multas ostentant, pharisæo-  
rum discipuli, se absq; fide, iē non sola fide confidunt  
iustificandos. Quantus & illorum numerus? Quod se  
duo

duo hi exercitus protererentur, actum planè foret & de antichristi & diaboli tyrannide. Atqui ad subuertendos illos ualidissima arma suppeditat nobis Euangelicissima illa epistola. Et non solum hoc agit, sed & summam Christiane uitæ, compendio quodam tradit, eamq; certissimam, & neuitquam adulteratam, quam seruare nos oportet. Quod si usus Euangelij non uitiatus, neq; neglectus fuerit, tunc & demonibus uere horrendum, & maxime nobis erit salutare. Verum quædam enarranda legamus.

Et ista est promissio, quam audiuius ab eo, & annunciamus uobis.

Alij legunt in latina et uernacula, tam noua, quam ueteri editione, Et ista est annunciatio. Malo legere, promissio: Græce enī est ἐπαγγελία, quod ubiq; interpretantur promissionem, plus autem est promissio quam annunciatio. Et supra quidē dixerat annūciationem, hic & promissionē uocat, quo magis firmemur in fide. Promittuntur autem municipatus coelestis, & plenum illud gaudium in communionem cum deo patre & domino nostro Iesu Christo, sanctisq; omnibus. Quo quid maius dici, uel cogitari potest? imò nec dici potest, nec cogitari satis. Promisit autem dominus, qui orauit, et pro reuerentiā sua auditus est. Ioā. 17. Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos. Et iterum: Non pro his tantum oro, sed pro his qui credituri sunt per uerbum eorum

Quid promissum nobis à deo.

IN EPIST. IO. I.

in me, ut omnes unum sint, ut tu pater in me, & ego in te, ut et ipsi in nobis sint. Vis & aliam promissionem? Ioã. 14. dicit: Si quis diligit me, & sermonem meum ser- uabit, diliget eum pater meus, & ueniemus ad eum, et mansionem faciemus apud eum. Atque illa est promissio data patribus nostris, & terra promissionis, flu- ens lacte ac melle: mons hereditatis, omnium maxime desiderabilis, in quo ut plantemur, in quem ut per- ueniamus omnibus conatibus eniti debemus. Porro sicut ingressuris filiis Israël in terram promissionis præmittebantur exploratores, qui uisam ubertatem soli, & felicitatem terræ annuntiarent populo, quo alacrior foret ad obedientiam dei, & contemptum Aegypti: Ita & nobis, quoniam adhuc respicimus ad immundam, & tenebricosam Aegyptum huius mundi,

Explorato utile fuerit, audire exploratores aliquos, quibus pa- res patriæ triæ nostræ felicitas cõperta sit. At non omnes merentur qui audiendi sunt, ut audiantur. Etenim sicut tunc omnes quidem fi- deliter testabantur, quanta terræ, quam promiserat dominus, fertilitas, quàm munitæ ciuitates, quàm uabi- di inhabitatores: non tamen ea prudentia, & studio indicabant, quo populus ad ingrediendū magis accen- deretur, quin deterrebant, & magis reditus in Aegy- ptum, quàm ingressus ad promissam terram, quantū in eis, authores erant: Ita & nunc non omnes idonei exploratores, ac duces sunt ad promissionem illam ma- ximam. Est enim uidere quosdã, qui abducunt à Chri-  
sto



sto potius, quàm adducant ad eum qui uita eterna est. In quos etiam si omnem substantiam nostram collocarem, non curaremur. Eidem enim non docent, sine qua ita nostra tenet imbecillitas, ut impossibile fuerit peruenire ad beatam illam terram: quandoquidē multa sunt obstacula, & gigantes uincendi, ijq; armati à nobis imbellibus et inermibus. Porro bene fideite, optimum sortiti sumus exploratorem, Ioānem nostrum inquam, qui probum agit Iosue uel Calebum: non solū gloriam terrae, in quam transimus, fideliter annūciat, sed & qua ratione in eam perueniatur edocens, nos confortat. Itaque illum audite. Et primum quidem & ipse testatur felicitatem promissionis, deinde uult ut nostram agnoscamus infirmitatem: atq; ita subdit & uiam salutis nostrae, qua nos infirmi ac perditī, cum summo & felicissimo bono uniamur, communionemq; habeamus. Vidcamus igitur quid dicat.

Deus lux est, & tenebrae in eo nullae.

Prepostere & infeliciter quidam conātur à consideratione nostrae deformitatis, à metu iudicij, ab enumeratione peccatorum, à metu inferni & suppliciorum, absq; Euangelio gratiae & gloriae dei, iustificandi uiam ostendere, et salutem parare. Nam magna animarum pernicie desperandi uiam docent, odibilemq; edcum faciunt. Enimvero talis doctor & ipse diabolus est, et maxime quum hinc migrandū insonat: Ecce haec atq; illa peccata tua, adest iudex, aperuit infernus os

Docētes  
legem abs-  
que Euan-  
gelio.



IN EPIST. IO. I.

suum, ut te deglutiatur. Quid tibi deformi & sceleroso cum deo? Atq; ita nimirum & Iudam ad confessionem scelerum adexit. Noster autem theologus feliciter aspiciatur, & diuinæ pulchritudinis claritatē ante oculos nostros ponit: cuius aspectu quantumuis tenui ac paruo, necesse est ut ad desiderandum, & amandum illā mens rapiatur: et siquidē uere illustratur, necesse item, ut & suam detestetur foeditatem. Quandiu autem non fuerit libata pulchritudo illa atq; bonitas, frustra est omnis opera, & fortassis etiam si male actam uitam uerbis detestemur, adhuc placebit, ipsissimasq; tenebras præ luce diligemus. Itaq; Euangelista paucis deum lucem esse definit absq; ullis tenebris. Et Psaltes hanc uiam docet orans: Emitte lucem tuam & ueritatem tuam, ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montē sanctum tuum & tabernacula tua. Et iterum: Accedite & illuminamini, & facies uestre non confundentur. Ita & populus in deserto noctu suam igneam habebat columnā. E quibus uides, qd ante oculos proponendum, et quo nobis opus sit. Hic ne humiliter sapias, et sicut olim Anthropomorphitæ deo humana mēbra affixerunt, ita tu lucem quandam, similem huic cōditæ in deo imagineris. Nihil tibi corporeū in mentem ueniat, quāuis ex luce solis ad diuinam manu ducaris. Veritas ipsa, lux est. Etenim sicut lux corporalis corporeos oculos uidere, et ut res uideri possint, facit: ita et spiritalis illa, & uidere & uideri res quales sint facit

Deus lux  
& ueritas.

facit rectissime, quū sit ipsa interim lux illa, uidens clarissime et se & omnia. Geminam dicūt ueritatē. Vnā qua intellectus intelligendo nō fallitur: aliam qua res non sunt fucatae, uel adulteratae alieno quopiā lenocinio, quomodo aurū uerum dicere solemus. Ita & deū propter ueritatē fontē omnis illustrationis, & sapientiae, ipsamq; met sapiētiam, ueram Lucē, et luculentā Veritatem dicimus: atq; talem lucem, quae nullis permixta sit tenebris, quae nullā, quāuis paruā, in se habeat obscuritatē, eo qd' (ut apostolus ait) inaccessam inhabitat lucem. Vnde et consecratiō, ut respōdeat eius cognitionis sua potētia ac natura: & quia immensa lux est, necessariō immensa eius uirtus quoq; est ac potentia: et quia infinita scit, infinita etiam potest: atq; quia immēsam scit bonitatem, est et immense bona: hoc est, sicut est ueritas ipsa, ita est & ipsamet omnipotentia, & ipsamet bonitas. Quicquid usquam pulchrū, desyderabile, amoenum, amabile: id omne refert tantum umbram quādam tenuem incomparabilis istius lucis, ac ueritatis. Quod si nos ad sui amorem rapiunt crassa & immunda, ac foetulenta: quanto magis iucundum illud ac aeternum, purissimumq; lumē, uel minimo suo radio in sui desyderium transferet, praesertim quum nō sit alicubi uel uita, uel ueritas, uel beatitudo, quā in hoc lumine? Hae lux uita est uidentium, bonū omne uiuentium, bonum quod replet omne desyderiū. Conuenio te, uter beator, qui sectatur umbram, uel qui

IN EPIST. 10. PRIMAM

rem ipsam? Nō dices umbræ affectum beatum, sed plañe miserum, si relicto corpore amplexatur umbram. Iā solus deus lux est, solus bonus est, sicut et Christus p̄. arif eo respondit: Quid me uocas bonum? nemo bonus nisi solus deus. Solus ille sanctus, solus ille iucū. dus, solus ille amabilis, quia ipse lux est et ueritas, alia nobis uix pro umbra satisfaciēt. Huius nos igitur tenet amor & desyderium, imò ipse sit amor noster ac desyderium: ad hanc respiciamus lucem, & facile contemnemus Aegyptia illa cæpe & allia, facile pronunciamus omnia alia uana, caduca, fallacia, et abominanda. Nihil aliud esse testabimur, in quo non sint tenebræ. In hac enim sola luce nō sunt tenebræ. Non poteris deum arguere iniusticiæ, uel immisericordiæ, uel quod in ullo aberret, uel quod crassum uel immundum, uel imperfectum aliquid sit in eo. Perfectus enim est, & in eo non est macula. Nōne recte dixi hanc esse terram promissionis, fluentem lacte ac melle?

Sī dixerimus quod communionem habeamus cum eo, & in tenebris ambulamus, mētīmur, et ueritatem nō faciamus.

Veram tibi felicitatem, inquit, ostendi: at multos, quibus uel incognita est hæc lux prorsus, uel aliquatenus cognita, sed non uere credita, uidemus se ipsos seducere, & sibi persuadere, quod felices sint, & quasi ingressi in illam terram, se iactent esse fideles, & se quoq;

quoq; cōmunionem habere cum tanto lumine, quamuis non teneantur perpetuo rerum cœlestium desyde-  
rio, sed sectentur umbras tantum, imò tenebras ipsas,  
utpote uanitatē & pompam huius mundi, delicias  
& lasciuias carnis. Polluūt enim manus sanguine, cū  
adulteris ponūt portionē, cum furibus, si quos uident,  
currunt. Non tam parua promittimus. Certus esto,  
quod illi seducunt semetipsos, et adhuc in ipsa tenebro-  
sa Aegypto uersantur. Quotquot enim huius luminis  
participes sunt, aliam rationem uiuendi incunt. Veræ  
& crassæ tenebræ sunt, deum ignorare, & illæ super-  
uuiuersam faciem Aegypti sunt densissimæ. Aegyptij  
enim ac carnales nesciunt quæ sunt dei, & quanto mi-  
nus deum ipsum cognoscunt? Animalis, inquit, homo  
non percipit ea quæ dei sunt. Stulte igitur solo titulo  
Christiani, pro Christianis se uenditant, reuera impij  
Aegyptij & carnales. Etiam si apostoli ipsi essent  
ex nostro duodecim numero, etiam ipse ego, inquit, si  
iactarem tale quiddam, absq; honesta, & diuinæ huius  
lucis digna cōuersatione, mendax essem, & prorsus à  
ueritate alienus. Lux enim illa, quoscunque illumi-  
nat, nō sinit in tenebris uersari, sed deo similes reddit.  
Et quomodo?

Si autem in luce ambulamus, sicut ipse  
in luce est, societate habemus inter nos  
mutuā, & sanguis Iesu Christi filij eius



IN EPIST. IO. I.

emendat nos ab omni peccato.

Tunc te peruenisse in terram promissionis, & habere communionem cum illa luce certò credere poteris, si huius lucis amore, in luce ambulaueris, non alia agens quàm illa præcipiat, illi te assimilare cupiens, alienãdo te ab operibus carnis, & sectando ea quæ spiritus: tunc enim non eris hypocrita, foris sanctulus apparens, intus impio quouis seuior: nec ociose erunt manus tuæ, si intus mens lucida piæ fouerit cogitationes. Quos lux illa suis radijs perfundit, ij uere uitam sanctã uiuunt, et qualẽ filij dei. Vnde Paulus Ephesijs scribit: Eratis quondam tenebræ, nunc autẽ lux in domino, ut filij lucis ambulate: fructus enim spiritus est in omni bonitate, iustitia et ueritate. Non me latet, alios hic exponere communionẽ inter nos, tantũ de amore fraterno. At rectius exposueris mutuã illam communionem inter nos & deũ: ut cum superioribus congruat. Hæc enim promissio est, ut societatem habeamus cum deo, & cum omnibus sanctis. Inter nos, non est de textu, sed solum μετ' ἀλλήλων, hoc est inuicem: hoc est deus nobiscum, & nos cum deo, eo quod nos in illo manemus credentes, et ipse in nobis operans. Ceterũ hoc opus non erit nostrũ, sed Christi Iesu, qui nos sanguinis sui precio redemit ac mundauit. De quo in alio sermone. Iam satis fuerit aliquo modo demonstrasse, in quo nostra felicitas sita sit. Oremus deũ, ut hanc lucem ita uidere nobis cõcedat, quomẽns nostra eius incessabili

cessabili desyderio rapiatur: ut & nos filij lucis fiamus, & per hoc aeternis gaudijs fruamur, Amen.

DEMEGORIA III.



Qui habet aures audiendi, audiat, clamabat dominus: uolēs non solum corporis, sed & animi auribus uerba sua capi, quamuis doceret ut auctoritatem habens, & ab ore eius penderet omnis populus. Nec mirum, diffusa enim erat in labijs eius, ut inquit propheta, gratia. Non imerito id ipsum auribus uestris subinde et nos inculcamus, quāuis uerba eius afferamus, indigni qui ea proloquamur. Dicimus tamē et nos ea uel ob hoc maxime, qd' paruū laboris nostri fructū uidemus, et omnes querūtur qd' nulla specimina respiscētiae uestrae exhibeatis, qd' nihil decedat odijs, qd' flagrāt adhuc inuidia, detractio, inanis gloria, sermonis stultitia, atq; id genus pestes. Utinā ne in uanum laboremus, quasi in aërem loquētes, uel super petram seminātes. Iterū uobis dicimus: Qui habēt aures audiēdi, audiant. Nō enim impune suerit uerbum dei contemptim, & animo maligno audisse, sicut neq; absq; fructu diligenter obseruasse. Atqui sat scio, si uel parum aspexeritis ad illud amicum, clarum, & optabile lumē, de quo heri dictum, imō si lumine illo persuiseritis, non semper frustra laborabimus. Tantae enī uirtutis est, qd' cor & spiritualibus telis traiciat, &

IN EPIST. IO. PRIMAM

igneis spiculis uulneret, ut amore eius, sicut sponsa dicit, plane langueat, et nihil non faciat, quo eo fruatur uberius. Porro uestrum fuerit operam dare, ne socordiae arguamini, et frustra de his quae Euangelistes docet, audiat is.

Si dixerimus, Peccatum non habemus; nos ipsos fallimus, & ueritas in nobis non est.

Si ea quae heri de uero lumine diximus, intellexistis, & ea quae nunc lecta, etiam me non interprete, te nebitis. Viderat olim & David lucem illam, quum esset in excessu mentis: unde et similem uocem emisit clamans, Omnis homo mendax. Ioannes autem, quod plus fuerit, omnes homines peccatores esse pronunciat. Vbi enim deum agnoscere uere coeperis, necesse est fatearis oia alia esse impura, tenebrosa, insuauia, teque in primis, ac opera tua omnia danabilia. Necesse item, quod placeat, & arrideat lux illa sola, abominabilia sint, & nauseam pariant quaecumque alia fuerint obuia. Nec mirum, si & tu omnia cum Paulo pro stercoreibus, & ruderibus habeas. Cui posthac adulari licebit? quum Ioannes, imo et omnis scriptura omnes homines, etiam sanctos condemnet, & peccatores arguat: ut exaltetur deus super omne quod est, & flectatur in nomine Iesu omne genu. Nonne et Christus solum deum bonum docet? Irascantur & simulent hypocritae, Pelagiani, & Bogoi, sancti certe omnes fatentur se peccatores. Atque

Ad agnitæ diuinæ luci cōsentaneū est, ut nos quoq; agno-  
 scamus quān scædi, q̄ uani, quān pleni peccati simus.  
 Etenim hoc illa operari solet. Alioqui quomodo eius  
 desiderio rapiemur, si nobis adhuc placemus, & sanī  
 uidemur, et iusti atq; beati, dicentes cum angelo Lao-  
 dicensi in ecclesiæ: Diuites sumus, et ditati, & nullius  
 egemus, quum tamen miseri simus, & miserabiles, pau-  
 peresq; cæci ac nudi? De diuina luce et natura haud o-  
 pere præcium est multis differere: quando quidem su-  
 pra captum nostrum est, tantū immensam eius bonita-  
 tem non ignoremus, sed amemus: at nostram infirmita-  
 tem maiori studio scrutari debemus, ne & nos lucem  
 dicamus tenebras, et tenebras lucem. Igitur hoc, prin-  
 cipio uerum est, quod neq; Pelagiani negant, non solū Omnes ho-  
 homines, sed et omnes creaturas immundas, si cum deo mines pec-  
 conferantur. Vnde & Iob etiam matutina astra non catores.  
 audet asserere esse pura. Sunt & beati, atq; angeli,  
 quantum uis resfulgeant, obscuri: recedunt enim à sim-  
 plicissima unitate. Nō in hoc sanctorū honori detrahi-  
 mus, sed dei magnificamus gloriā. Atq; hoc nosse for-  
 sitan non multum humiliat, quoniā id cum creaturis  
 omnibus commune nobis. Admittunt insuper Pelagia-  
 ni & aliam quoq; immundiciam, nempe non esse ho-  
 minem in hac uita, qui nō peccet aliquādo, et hoc pro-  
 pter primum Adam, quem imitamur omnes peccan-  
 do: posse tamē nos quid liberi arbitrij uiribus, exerci-  
 tationeq; nostra dicūt eō puenire, ut impeccabiles fia-



IN EPIST. IO. I.

mus, omniq; careamus non solum crimine, sed & peccato: et ut hoc dogma stabiliat, mirū quot scripturas exponendo à genuino sensu dapravēt. Satis uel ex hoc loco redarguuntur: Si enim dixerimus, peccatum non habemus, ueritas in nobis non est. Accedūt ad hos & alij quidam, qui negātes in nobis post baptismū super esse peccatū, & ante diem, omnem nobis sanitatē pollicentes: nondum ex integro conualescētibus, maiorū morborum nobis sunt authores. Porrò dimissis illis, penitius nos introspeciamus: & ô deum quantæ nobis occurrūt tenebræ? quātæ abominationes? Quid enim omnis affectus carnis, quàm peccatū? quàm agnata nobis ignorantia dei? Quid sapimus aliud, quid loquimur aliud quàm terram? Habet homo, si se recte discutiat, natura incredulitatem, odiumq; dei, amorem sui, rebellionem, inobedientiam, fugam crucis, odiū mortis, hypocrisin: et quis omnia commemoraret? Et quis hæc bona diceret? Fermento ueteri fermentata est natura nostra, atq; adeò etiam intima infecit, & corripit morsus serpentis, ut nihil inde prodeat, quin uetustatem illā damnabilem sapiat. Proinde hoc sensu non aberrant (etiamsi relatrēt ad rauim usq; hostes Euangelij) qui iustū, quatenus à primo Adā est, in quocūq; bono opere peccare asserunt. Quis est, quæso, qualis esse debeat? Esse autem alium, quàm oportet, peccato nō caret. Dic item, Quod opus nostrum, quale esse debet? Prodeat, qui dicere possit unum opus suum ita pu

Iustus in  
quocunq;  
bono opere  
peccat.

rum, ut in eo desyderari possit nihil. In hoc ardētiorē esse oportebat, in illo magis humiliatum, in alio prudentiorem, in omnibus simpliciorem. Idcirco Paulus apostolus magis sibi cognitus, quā sanctuli illi, quantum se condemnat & deplorat, dicens: Video aliam legem in membris meis rebellantē legi mentis meae? Maledicta enim ista terra non profert, nisi tribulos & spinas. Sensus & cogitatio cordis humani ad malū omnī tempore, ut Moses inquit, propēsi. Esaias oēs nostras iustitias uocat immunditias. Dauid in iniquitatibus se cōceptū fatetur. Solomon: Nō est homo, inquit, qui faciat bonū & nō peccet. Cæci quoq; surdi, leprosi, claudī, demoniaci, quorū mentio in Euangelio, figura sunt peccatricis nostrae naturae, quae malis illis omnibus est obnoxia. Agnosce te ipsum, & uideto nū uera loquar. An non tenebrae crassissimae, et cæcitas, solem illum imensum nō sentire? quo ignorato, certū est nihil iudicari, ut oportet. Animalis etenī homo ignorat quae sunt dei, magnificat praesentia, contemnit futura: probat temporaria, reijcit aeterna: sectatur umbram, relinquit corpus: bona mala dicit, et cōtrā mala bona: amara dulcia, & dulcia amara. Hanc caliginem nimirum, & malarum affectionum sequitur mephitis, aterq; fumus. Et quid manifestius? Volumus remittere peccanti in nos fratri, sed cor contradicit. Volumus orare deum, at cor ad terrena retrahit. Quae lux, quae ueritas, quae iustitia, ubi tanta deordinatio? Dicitis: nōne in

IN EPIST. 10. I.

Quomodo baptismo uel poenitentia abolita sunt peccata? nonne  
 à peccatis mundatus sum? nonne purificatus sum? Cur ergo di-  
 mundemur cum me peccatorem, & habere peccatum? Audi quo-  
 in baptis- modo mundatus sis. Paulus inquit: Nulla cōdemnatio  
 nio. his qui insiti sunt Christo. Lex spiritus uitæ per Chri-  
 stum Iesum, liberum me reddidit à iure peccati et mor-  
 tis. Non à peccato liber factus es, sed à iure peccati, si  
 secundum spiritū incedas, tametsi interim habitat in  
 te peccatum, uitians quicquid agas, usque adeò, ut ni-  
 si sua gratia suffulciret te misericors Iesus, damnatio-  
 nem quoq; merereris: sed illius ignoscēdi facilitas, per  
 fidem in ipsum purum te reddit ac sanctum. Vnde &  
 Ioannes quoq; postquàm dixit, Et sanguis Iesu Christi  
 filij eius emūdat nos à peccato: subdit, Si dicimus, pec-  
 catum non habemus. Et ne paruum & contemnēdum  
 uideatur peccatum, addit: Si dixerimus, non peccauim-  
 us, mendacem facimus eum. Hinc est, quod sancti om-  
 nes cum lachrymis precātur: Remitte nobis debita  
 nostra, sicut & nos remittimus. Qui si non essent ob-  
 ærati, frustra orarēt. Adde ad hæc, quod Christus non  
 esset eis Iesus, quia sic dictus est, eo qd' saluet nos à pec-  
 catis nostris. Quid opus erat Christum nasci, tot an-  
 nis nostras infirmitates ferre, & deniq; in cruce mo-  
 ri, si nostris poteramus operibus ablui? Si nihil ampli-  
 us egit, quàm quod exēplū uitæ doctrina operibusq;  
 exhibuit, an nō id ipsum possent præstare etiam hodie  
 hypocritæ? Deificemus igitur & Socratem, & salua-  
 torem

borem appellemus. O *Sophista*, qua fronte uos Christi  
 anos appellare audetis? Iam oblatrat alius: Et cur nō  
 totum hominem purificauit? quid sibi uult tyrannis in  
 nobis relicta? Amice, quum nunc in tanta peccādi pro  
 nitate cristam extollis, & redemptorem parum agno  
 scis: quid tum futurum, si abesset tanta humiliandi ma  
 teria? Operæ precium fuit, ut exerceremur, & certa  
 remus, & sic propter nostram humilitatem ad Chri  
 sti auxilium requirendum extimulareremur. Ultra ro  
 garit quispiam: Si deus inaccessa illa lux, nos autem  
 tenebræ: si ille summa puritas, nos autē immundi: quo  
 modo communionem cū illo habebimus? qua ratione  
 illi conciliabimur? Quid commune tenebris & luci,  
 nobis et deo? quomodo spes nostra fouebitur? Audi igi  
 tur quid heri dixerit.

Quare reli  
 ctum pecca  
 tum origi  
 nale.

Sanguis filij eius emundat nos ab om  
 ni peccato.

Et nunc iterum constantius inquit:

Si confiteamur peccata nostra, fidelis  
 est ac iustus, ut remittat nobis peccata  
 nostra, & emundet nos ab omni iniqui  
 tate. Si dixerimus, nō peccauimus, men  
 dacem eum facimus, & sermo eius non  
 est in nobis.

Quid clarius dici potuit? Sanguis filij emundat,  
 non opera nostra, inquit, non merita, non ieiunia, non



IN EPIST. IO. I.

De satisfactio-  
ne no-  
stra.

eleemosynæ, non sacrificia quæ uocant, nõ pecunijs re-  
dempta à Rhom. pontificibus diplomata. Quæ igitur  
nundinationes illæ in templo dei participationum, fra-  
ternitatũ, omniumq; operum, quibus deuorari solent  
domus uiduarum & pauperum? Quomodo purifica-  
bimur alienis immunditijs? Qui fieri potest, ut sordes  
sordibus mundentur? Et iustitiæ nostræ, teste scriptu-  
ra, sordes sunt. Dicit igitur, Sanguis Christi, nõ noster:  
tametsi noster sexcenties effundatur. Non sanguis san-  
ctorum, sed sanguis Christi: sanguis non hircorũ & bo-  
um, sed sanguis agni uere immaculati: illius in quo be-  
neplacitũ est patri, qui & innocentia patrẽ placat, &  
iniquitates nostras portat: quæ ob naturæ nostræ com-  
munionem, quia ferebat similitudinẽ peccati, propter  
peccata populi pro nobis tradidit, & percussit pater  
misericordiarum. Hunc ostium esse uoluit, hunc uiam  
per quam ingrediemur, hunc sacrificium unicum, con-  
ciliatorem dei & hominũ, iustitiãq; ac redemptionẽ,  
Atq; ideo factus est homo, ut filij dei efficiamur: factus  
maledictũ, ut cum angelis glorificaremus deũ etiam  
ipsi gloriosi: mortuus est, ut uiueremus: descendit ad  
tenebrosas inferni caligines, ut ascendamus in coelos,  
& in lumine ambulemus. Quid quod nos iniusti fui-  
mus? Christus iustus est. Quid quod filij iræ? Christus  
filius dei princeps pacis, & in nostra natura. Hic est  
satisfactio nostra, & precium nostrum sufficientissi-  
mum, modò in illum credamus Fidelis est, promisit ad  
se fide

se fide uenientibus peccatorum condonationem, & communionem illam. Quibus promisit? credentibus, atq; peccatores se agnoscentibus. Vnde Dauid: Dixi, inquit, confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, et tu remisisti impietate peccati mei. Et Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit præcepta mea, etc. omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor. In iustitia sua quam operatus est, uiuet. Promisit, fidelis est ac uerax, mentiri non potest. Iustus est, non auersabitur faciem ac dignitatem Christi sui. Tantum De confessione. nunc hoc exigit, ut confiteamur nos peccatores. Non de uulgari illa confessione, quam auriculariam uocant, hic loquitur, de qua scriptura nihil præcipit usquam, tametsi illam nemo pius damnet, si bono quis spiritu ductus, & non solum propter humanas traditiones faciat. Sed mentio est de sancta illa, deoq; grata, qua in omnibus dictis, factisq; tuis, apud deum peccatorem te testaris, sciens in iudicio dei non posse consistere opera tua: credasq; te saluari sola in Christum fide, sine qua et confessio damnosa foret: talem enim sine fide filius quoque ille perditionis Iudas faciebat. Obserua item ut fatearis peccata tua: dicit enim, Si confiteamur peccata nostra: non inquit, aliena. Quid enim illa ad te? Stat enim ille uel cadit dano suo. Quid in alienis curiosus es, phariseum imitans, qui se iustificabat contempto publicano? Sed & ne reicias culpam in creaturas, in

IN EPIST. IO. I.

astra, in parētes, in corporis fragilitatē: ne in deū qui te sic creauit, ne obtendas negatam gratiam. Peccator quū sis, peccatorem te confitere: & ut id audentius facias, cogita quod Christus quū peccator non esset, ut peccator condemnari uoluerit, quo emundaret nos ab omni, inquit, peccato, originario & actuali. Ipse enim fons est, sicut Zacharias dicit, patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris & menstruatae. Ipso purificante & illustrante pectora nostra, uidebimus uanitatem, cum creaturarum omnium, tum nostram maxime: & in lumine eius uidebimus lumen illud desideratissimum, uiuētes post hac in sanctitate, & iustitia coram ipso, Amen.

DEMEGORIA QVARTA.



Nimarum curam Euangelista noster suscepit, & profectō si illius obtemperarem consilio, quid certius salutate? Docuit enī diligenter, quomō possint mūdari (qd' & ipsum est sanari) anime nostrae aspectu inaccessae lucis, si suā confiteantur fœditatē, & fidem habeāt in Christo. Reliquum, quia & circumspectione plurima opus est, ne deteriora sequantur, & fiant (ut dominus dicit) posteriora primis peiora, demone septem nequiorum spirituum ministerio stipato, redeūte in domum ornatam et scopatam: uel ne facti profelyti, decuplo reddamur deteriores

riores, quàm antea eramus. Videbitis dilecti, et in hoc miram sedulitatem Ioannis. imò spiritus sancti, & eximiam fidem. Habenda sanè non minor cura ne excidamus à recuperata sanitate, quàm ut confirmemur. Rara est perseverantia, & multi quidem multa attētant, sed quotusquisque feliciter rem ad finem perducit? Ex multis arboribus quæ florent, pauca fructum ferunt. Iudam, si perseverasset, quis non laudasset? sed quia recte videtur cœpisse, & factus est apostata, quis non vituperat? Audiamus igitur quibus nunc opus, ne si ædificium nostrum imperfectum maneat, hostibus ridiculo simus. Dicit consequenter.

**F**ilioli mei, hæc vobis scribo, ut ne Cap. II.  
peccetis.

Vides hic apostolicum pectus. Quanta blanditia pios alloquitur, quasi durius esset dicere, Filij: dicit, filioli. Nimirum ne suspicemur, gravius quiddam nobis iniungi. Vere ex paucis patribus illis erat, de quibus nuper audiebatis in Paulo: Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, non multos tamen patres. In Christo enim Iesu per Evangelium ego vos genui. Ex paucis dixi patribus est. Nostri enim seculi episcopi, quorum somnos iactura animarum subditorum rarius interrumpit, ab hoc affectu procul absunt. Domini enim gaudent salutari, unde & eos, quorum curam susceperunt, si tamen susceperunt, pro servis habent.



IN EPIST. IO. I.

Hec scribo.) Aliàs, inquit, munus meum est, prædicare, uerū charitas nunc etiā scribere cogit, & planè cuperem hæc in pectora uestra insculpere indelebilibus characteribus, ne ex memoria elabantur. Et quidnam scribis ô Ioannes? Pollicitus es nobis emundationem ab omnibus peccatis in sanguine Iesu, quid nunc requiris à nobis? Indulgentias uere præcipuas & plenarias, ut aiūt, easq; absq; auro et diplomatis, accepimus: quid nunc præcipis? iubes ne erigi templa? proficisci Rhomā, inuisere templa, castigare corpus inedia, aut talium quidpiā? Quam pœnitentiam præscribis? Scribo uobis, inquit, ne peccetis. Grauis pœnitētia, imò leuis. Et ne mireris, à Christo didicerat, nihil præterea iniūgere: nam et is dicebat mulieri adulteræ: Vade, et noli posthac peccare. Similiter & paralytico, qui propter morbū egrotarat, aiebat: Vade, noli posthac peccare, ne tibi grauius qd cōtingat. Insuper hoc et sapiēs docuerat: Fili peccasti, ne adijcias iterū. Quasi à facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipiente dentes leonis, dentes eius interficiente s animas hominum. At dicis: quanto minori labore uiuerem iuxta satisfactiones, quæ hætenus plerisque in locis iniungi solitæ sunt? Quantum ex hesterno sermone didicimus, nemo absq; peccatis uiuit: & nisi fateamur nos habere peccatū, mendacem facimus deum. Et Paulus ipse inquit: Peccatū in me habitat, et nō habitat in me bonū. Quod odi malum, hoc facio. ad Rho. 7. Dices: Impossibilia

De pœnitētia.

sibilis præcipis, quis toleraret? Aut licenter peccabi-  
 mus, ut abundet gratia? Imò hæctenus iniungebantur  
 onera: at nõ idem facit Ioannes, et quisquis Christũ do-  
 cet. Onus est graue, quicqđ nõ imperat Christus: quic-  
 quid imperat Christus, onus graue non est: & quãuis  
 nostræ uires nihil gestare possint, Christo tamen in no-  
 bis operante, & gratiam suam suppeditante, non est  
 quod detrectemus, uel quod queramur. Et quid uult  
 quum dicit, Ne peccetis? nõ inquit, sitis absq; peccato,  
 sed ne peccetis: hoc est, omne posthac adhibete studiũ,  
 & enitamiui ut impleatis legem. Quidã interpretan-  
 tur, ut ne peccetis grauiora peccata: imò studium no-  
 strum esse debet, ut omnis consuetudo peccandi abole-  
 atur in posterum, tollaturq; uetus ille Adam totus.  
 Quamuis autem non assequaris felicitatem illam, attã-  
 men certandum tibi erit spiritu, ut dicere possis: hoc  
 facio quod uolo. Actum sanè de nobis est, nisi & mini-  
 ma cauerimus, eritq; parua scintilla magni nobis au-  
 thor incendij. Adde, nisi à paruis abstinueris, impossi-  
 bile erit effugere magna. Nemo repente in grauissima  
 incidit scelera: contemptus minimorum, peperit &  
 grandia flagitia. Vnde & in hoc incumbendum, ne mi-  
 nimo uitio locũ demus, donec ad pueri innocentiam  
 redeamus, qualem dominus in medio statuit aposto-  
 rum. Hoc est quod & Paulus Rhomanis scripsit: Qui  
 enĩ mortui sumus peccato, quomodo adhuc uiuimus  
 in illo? Vetus homo noster simul crucifixus est, ut de-

IN EPIST. IO. I.

struatur corpus peccati, ut ultra nō seruiamus peccato. Igitur quum sine peccato non uiuamus, eò tendat omnis conatus noster, ut peccandi consuetudinem aboleamus, annit amurq; ut quam minimum peccemus, displiceatq; & abominabile sit omne, quātumuis paruum quo à deo recedimus. Atq; hic erit sanctus sabbatismus ac ppetuus, nunquā seruilia facere opera. Sequitur:

Sed & si quis peccet, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum. Et ipse est propiciatio pro peccatis nostris. Et nō tantum pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

Hic si quis dicat: Quid autem si negligētior fuero, redieroq; ad uomitū sicut canis? nulla ne patebit gratiæ iamua? non mihi redire licebit ad Christum? occurrit beatus Ioannes atq; cōsolatur, refutans statim Noūati hærēsim, & pestilens dogma. Pœnitentiæ enim locus nulli denegatur ad Christum redeunti, qui est propiciatio & satisfactio pro peccatis nostris. Nec putes hanc doctrinam aperire uiam ad peccata: nam alioqui nec crucis Christi meritum prædicare liceret, & in uniuersum obticenda esset diuina misericordia: quæ nonnullis impijs peccandi est occasio, quum debet esse resipiscēdi præsentissimum pharmacum. Porro faceſſat cauillum. Nō enī de futuris, sed de præteritis agi peccatis, quæ diluit, modò confiteamur, et si  
dens

dem erga Christum geramus, satis manifestum: nunc  
 uult ut ad ea quæ à fronte sunt, enitatur, ne satis uide  
 atur effugisse Aegyptū. Videtis ut ne respicias, sed co  
 lumnā ignis præcūtem sequere. Caterum quū absq;  
 peccatis uita hæc minime transigatur, fragilitati no  
 stræ patrocinetur innocentia & iustitia Christi. Et  
 uide quomodo per omnia Paulo cōsonet. dicenti: Nul  
 la condemnatio est his qui insiti sunt Christo. Si ergo  
 per infirmitatem peccaueris, habes propitiatorem  
 Christum, modò tu continuus poenitens, & confitens  
 sis, & inde lucrum facias, cautior quotidie in uita insti  
 tuenda factus. Dicit enim Ioannes: Esto, peccet quis,  
 id quod humanum est, & peccatores nos esse redargis  
 at corpus hoc morti obnoxium, ne desperemus, ne si  
 mus supra modum anxij, Christo scilicet tam propi  
 tio, modò in posterum cautiores simus. Hic obijciunt  
 illud sapientis Eccī. 5. De propitiato peccato noli es  
 se sine metu, neq; adijcias peccatum super peccatum.  
 Non pugnat illius sententia cum Ioannis dicto. Recte  
 non plango, recte & plango. Non plangā, ne ita sim  
 anxius, ut desperem. Nā ut est apud Ezechielem, si re  
 uersus fuero à uia mala, non erit memor omnium pec  
 catorum deus. Exaudiet me in quacūq; die inuocau  
 ero eum. Plangā item & supra modum, & quasi luctū  
 unigeniti, propter malam meam habitudinē, quæ nõ  
 dum abolita, et ad peccandum trahit: quod planè pri  
 dentie fuerit, ut in posterum non relabar in pristina



IN EPIST. IO. I.

**Euangelica peccata:** quæ uera Euangelica pœnitētia, nō à pœnitētia  
**pœnitentia** quas nos ipsi infligimus: sed à resipiscendo, nouamq;  
 uitā arripiendo, sicut uis Græci uerbi μετανοεῖν de-  
 clarat. Peccatorum enim nostrorum propiciatio non  
 sunt lacrymæ, uel contritio, uel opera nostra: sed san-  
 guis Christi, in quo patri complacitum fuit, ut miseri-

**Non neces-** cordia saluemur, non operibus. Insignis et memorabi-  
**saria sancto** lis locus hic est, contra eos qui contendunt necessariā  
**rum inter-** sanctorum intercessionē: & quū nos ad Christum du-  
**cessio.** cere debeant, abducūt, neq; sanctorum honorem legiti-  
 timū tuentes. Sed non ratiocinabimur, uerba autē tan-  
 tum obseruemus. Nō dicit, nos habere aduocatos Ma-  
 riā, angelos, sanctos: sed habemus, inquit, Iesum Chrī-  
 stum. Et si urges uerbum, Habemus, intelliges sanctis  
 ipsis opus intercessore & aduocato: fatentur enim no-

**Merita san-** bificum peccata sua: unde nulla habēt merita, quæ pro-  
**ctorum.** ferāt, nisi dona dei in illis merita uelis appellare. Chri-  
 stus autem unus proprie iustus dicitur. Noli hic tor-  
 quere scripturam, quasi propter nostra opera iustum  
 dicat, ita ut iustitia deroget misericordiæ, & in opera  
 nostra respiciatur. Neq; enim cum omnibus bonis ope-  
 ribus nostris iudicium dei ferre poterimus. Sed iustus  
 est Christus, quia acceptus est patri, & macula ei non  
 est ulla, ut est ad Heb. 7. dictum. Talis decebat nobis,  
 ut esset pontifex pius, innocens, impollutus, segregatus,  
 sublimior coelis factus, cui non sit necesse prius pro  
 proprijs peccatis offerre. Vere agnus immaculatus,

qui

qui & dicebat Iudæis: Quis uestrū arguet me de peccato? Ioan. 8. Ne cōturbet igitur quēpiam peccatorū uel magnitudo, uel multitudo: aboleuit enim ea patrociniū sanguinis Christi, quod sufficit pro peccatis, cum nostris, tum mundi totius, modò uera sit confessio, & spes in Christo. Iam & de patrocinio Christi nolim te **Patrociniū Christi.** puerilia imaginari, & Homericam quandam fabulam animo concipere, sicut pictores qualitercunq; docentes pingūt, supplicare, genua flectere, uulnera mōstrare: nunc cōsidere, mox iterum se ante patrem proster nare: sicut et de sanctis opinantur, quasi nunc ille oret, nunc alius, & unus præcedat, alius sequatur. Audi, ita se habet res. Hic in terra pro nobis orauit Christus, & pro sua reuerentia exauditus est. Vnica oblatione perfectos effecit in perpetuum eos, qui sanctificantur. Ad Heb. 10 & 9. Per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, æterna redemptione inuēta. Atq; hoc ipsum quod humanam naturam nostram in se suscepit, precum & patrociniij loco est. Ita. 1. ad Tim. 2. Vnus conciliator dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus. Facta enim est interpellatio in hac uita, quam & deus respicit. Vnde quod hic dicitur, idem est cum eo quod supra dicit: Sanguis eius emundat nos ab iniquitate nostra. Eius igitur sanguis intercedat pro nobis, nō alterius cuiuspiam. En uides quò te quæstuarij concionatores à Christo abduxerint, & quantū gratiam

IN EPIST. IO. I.

obscurarint? Adijciunt nugatores, Opus autem inter  
cessoribus apud Christum. Non ita dicit Euangelista:  
Apud patrem, inquit, habemus aduocatum. & apud  
patrē opus erat aduocato, apud Christum nō, inquit,  
opus habemus aduocato: & si opus haberemus, neuti  
quam obticuisset. Sed habemus aduocatū, hoc est, ipse  
constitutus est à patre, ut nobis patrocinetur. Igitur  
nec sancti nunc pro nobis orant: & nescio ubi scriptu  
ra canonica doceat mortuos nūc orare pro nobis: sed  
orauerunt fideliter antequam hinc migrarent. Quas  
preces, sicut omnia bona opera eorum, quia illa in eis  
operatus est spiritus Christi, non dubitarim gratas es  
se deo. At quum hic agerent, nobiscum orarunt potius  
quàm intercesserunt. Et non minus conspicuæ sunt no  
stræ quàm illorum, nec minus illorū quàm nostræ pre  
ces apud deum patrem, in cuius oculis nihil recens, mo  
dò fideles simus sicut illi. Orauerunt autem, ut dece  
bat eos orare, non stulta, nec aliena ab his, quæ Chri  
stus orare uult: imò deprecati sunt pleraq; quæ per il

Ora pro no los nūc obtinere nitimur. Vnde ego quoties dico, Ora  
bis S. Petre pro nobis sancte Petre: sic intelligo, Utinam exaudian  
quomodo tur preces, quas hic Petrus in fide & charitate pro  
intelligatur, nobis orauit, cuius charitas in cœlis aucta, pristinas  
preces non deprecatu exaudiri. Mirum, quantum  
hinc superstitionum, deliramentorum, impietatum, in  
totum orbem profluxerit: ut de alijs taceam, nonne  
egregie ineptiunt in Barbara uirgine, cui hūc sacrum  
dicm

diem faciunt: similiter in diuo Sebastiano, Valentino,  
 & alijs nescio quibus: sed debentur hæc sacerdotum  
 indoctæ auaritiæ, & impietati. At uos si tutiorem  
 uiam eligere placet, ad Christum thronum gratiæ ac-  
 ceditis. Is tantum ab immisericordia & tyrannide  
 abest, ut nos & inuitet, dicens: Si quis sitit, ueniat ad  
 me. Et iterum: Venite ad me omnes, qui laboratis &  
 onerati estis. Item: Si quid petieritis patrem in nomi-  
 ne meo, dabit uobis. Ipse altare nostrum est, super quod  
 thymiamata nostra offerimus: ipse item sacerdos, &  
 hostia pro peccatis totius mundi, hoc est totius eccle-  
 siæ, hoc est omnium qui ad ipsum bona fide ueniunt. Non  
 mundi inquam illius, qui Christum odio habere, & in  
 peccatis gloriari pergit. Nam ut sanguis Christi ad pla-  
 candum patrem sufficeret, etiam si decem millia mun-  
 dorum innumeris modis amplius peccassent: ita si cen-  
 ties millies pateretur Christus, nulla salus foret ei, qui  
 à peccatis non uult desistere, neque in Christo suam ponit  
 salutem, sed in proprijs operibus, aut alijs quam Chri-  
 sti patrocinijs. Vnde quæ hætenus ab Euangelista di-  
 cta sunt, ad hypocritas, in suis operibus spem collocan-  
 tes, domandos et humiliandos ualent, ut se peccatores con-  
 fiteantur, & posthac non in sua, sed Christi iustitia con-  
 fidant. Nunc alios inuadit epistola, quorum ficta fides  
 est, ac fructu caret, Sed de his in sequenti sermone.



IN EPIST. IO. I.  
DEMEGORIA QVINTA.

Quantū o-  
peretur fi-  
des.



Mltos offendit sermo de fide, per quā iustificari nos asserimus. Sed ignorāt illi quid sit fides, uel quanta fidei sit efficacia, nec ullum unquā habuerūt fidei gustum, & oblatrare tamen au-  
dent ignauos inde et contemptores bonorum operum euadere: quibus nequaquā assentimur nos, qui cōtrā ē fide, nulla non bona nasci probare poterimus. Decipiuntur autem, de ficta & historica fide loqui nos putantes, quæ in ore tantum natet, & à corde absit, quam et maxime, supraq; modū persequitur uera fides. Et nūc quoq; diuus Ioannes, postquā hypocritas bonis operibus fidentes reiecit, incipit & ignauos & falsos Christianos perstringere, qui commenticia fide salutem sibi pollicentur. Sequitur enim.

Et in hoc scimus, quod cognouimus eum, si mandata illius seruamus. Dicens, Noui illum, & mandata illius non seruans; mēdax est, & in eo ueritas non est. Qui autem seruat illius sermonem, uerè in eo charitas dei perfecta est. In hoc scimus quod in ipso sumus. Qui dicit se in illo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse sic ambulare.

Dicit

Dicit Euangelista scire nos : igitur Sophista refel- Sophista ne  
 luntur, qui negant hominem scire posse an habeat si- gantes nos  
 dem. Vide ut consonant Sophista et Euangelista. Euan scire an ha-  
 gelista dicit, Scimus quod cognouimus eum, & quod beamus fi-  
 in hoc charitas dei perfecta sit, & in hoc scimus, quod dem & cha-  
 in ipso sumus. Sophista autem dicunt: Nescimus, igno ritatem.  
 ramus, dubitamus an nobis fides sit et gratia spiritus.  
 Igitur, neq; peccās sciā me peccare? Ita et in operibus  
 dicūt, nescire se an deo sint grata nec ne. Et quid dicēt  
 ad Paulum, Nos spiritum accepimus, non huius mūdi,  
 sed spiritum qui ex deo est, ut sciamus quæ à deo dona  
 ta sunt nobis? Veritas dei nō est ut lux corporea, quæ  
 se nesciat lucere. Qui loquitur ueraciter, scit se uera-  
 cem. Sed ne cōtendamus cū illis. Euāgelista dicit se ue-  
 ra docturum. Nūquam quieto erimus animo, nisi cer-  
 ti fuerimus de fide digna. Ponit igitur non coniectu-  
 ram, sed iudicium certissimum, quo ueram à ficta fide  
 dignoscas, nempe ex obseruatione mādatorum illius.  
 Attende uerbum illius. Gratias deo, quod non dicit,  
 quia seruamus mandata hominum, sed illius. Nec di-  
 cit de his, quæ nos ipsi nobis iniungimus: qualia sunt ex  
 terna opera quædam. Imò si hinc exorsus fueris, et nō Seruatio  
 agis nisi ea quæ uidentur bona in oculis tuis, & dimise mādatorū  
 ris mandata dei, adijcies peccata super peccata. Esa. dei, non ho-  
 30. Væ filij desertores, qui initis consilium, & non ex minū, pro-  
 me, ut ordiremini telam, & non ex spiritu meo, ut ad bat fidem.  
 datis peccatū peccato. Hinc non mirum, quod in mul

IN EPIST. IO. I.

tis monasterijs, & ecclesijs parua fides est, quia maxima pars studiorū in statutis hominū uersatur. Nollent enim prælati doceri illic fidem in deum, quæ citra controuersia, ipsorū derogaret mandatis. Sed statuta hominū amat. Ne tetigeris, ne gustaueris, ne induaris, ne loquaris, atq; alia quæ nihil ad Christū. Et inde uolūt colligere fidei magnitudinē corū, quæ magna ex parte cū Christo pugnāt. Euāgelista de fide dicit: Si illius præcepta seruaucrimus. Matth. 13. & Esa. 29. frustra coli testantur deum traditionibus mādatis hominum. Ita & Deut. 12. Tantum quæ ego præcipio, facito domino, neq; addas, neq; minuas quippiam. Et iterum: Hæc est uia regia, ambulate in ea, neq; ad dextrā, ne-

Seruare.

que ad sinistram flectatis. Dicit autem, si seruemus, nō disputemus, scribamus, concionemur, contēdamus. Et seruemus non ore solo, sed et opere. Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi, domine domine, intrabit in regnū coelorum: sed qui fecerit uolūtatem patris. Et eo quoque loco distinguit diuina ab humanis. Volūtatem patris facit qui opus dei facit, uerè credens in eum quem misit ille. Itaq; fides uere efficax est, & actuosissima.

Cognoscere.

Nam cognoscere, suā hic habet energiā: uel non simpliciter cognoscere deū, sed cognoscere, quod in sanguine filij eius purificemur. Nam quātulumcunq; fuerit hoc cognoscere, si uere fuerit, & uel paruus quidam diuini luminis radius cor illustrauerit, inflammareq; cooperit, coget nos ad redamandū, & perficiendū mādāta: idq;

ta: idq;

tā: idq; lubenter, & ita, ut plura uelis iniungi quā plu-  
 rima feceris, & in omnibus appareat leue iugū domi-  
 ni, sintq; ut propheta dicit, mōtes humiles, & exalten-  
 tur ualles, & ne quid te fatiget, omnia plana sint, ac  
 facilia. Nec mireris: non est enim potentior malicia,  
 quā sapientia, & gratia, quæ fidem suppe ditat. Iam  
 si parum fermenti totam massam corrumpit, cur non  
 & modicus diuinæ gratiæ radius, & tanti numinis af-  
 flatus multum operaretur in homine? Vtriq; sua uis  
 inest: illi ad amaritudinem, huic ad suauitatem. Vtrun-  
 que studio prouehitur, et neglectum inuitur. Venimus  
 enim à fide in fidē, et ambulamus à uirtute in uirtutē,  
 et à peccato in peccatū ruimus. Auerte te à malicia, et  
 uires suas amittet: auersare lumē, oleumq; non adijce,  
 et restinguetur. Vtrūq; alteri mutuò cedit: quāto plus  
 lucis, tanto minus tenebrarū: & cōtrā. Colatur igitur  
 et diligenter exerceatur ager noster, uti sapiēs inquit,  
 id quod faciemus, si fuerit fides in nobis. Vis huius ex-  
 emplū habere? Paulus te doceat. Non ignoras quomō  
 adhuc ignorato Christo, spirarit minas ac cædē aduer-  
 sus discipulos domini, quomodo nec uiris, nec mulieri-  
 bus pepercerit, quomō custodierit uestes lapidantiū  
 Stephanum, quantus persecutor & lupus fuerit. At Pauli exem-  
 pte uide ut primū illustratus est, sicut corpore humiliatus plum.  
 est, ita & ferocia eius prostrata. Vnde ne ignauus ser-  
 uus esset, mox operā suam offert, & inquit: Domine,  
 quid uis faciam? quasi diceret: Vicisti maliciā, cui serui



IN EPIST. IO. I.

re posthac nō libet: sed sicut haecenus seruiui, et acqui-  
 cui carni & sanguini: ita nunc tuum mancipium esse,  
 inq; præceptis tuis ambulare cupio. Insuper accipit  
 mandatum, ut surgat & ingrediatur ciuitatē, auditu  
 rus ibi quid facere se oporteat: obedit, audit Anani-  
 am, & crescit semen paruum in amplā arborem, la-  
 boratq; plus alijs apostolis. Is ille Paulus est, qui toti-  
 es indicat salutem & iustitiam, non ex operibus, sed fi-  
 de haberi. Videant obsecro ueritatis hostes, quā non  
 reliquerit illum ociosum fides, quā inuictum athle-  
 tam prestiterit fides, & quā mansuetum agnum ex  
 lupo fecerit fides. Vnde non sit uobis dubium, quod si  
 uerē fidem habueritis, minime reos fore uos ignauiae,  
 non tantum ne relabamini in pristina peccata, & ne si-  
 cut canis ad uomitū redeatis, imò potius malletis fer-  
 re innumera tartarorum millia (tam graue uidebitur  
 offendisse deum) sed & solliciti, & spiritu seruidi, quo  
 modo soli deo placeatis. clamabitis unusquisq;: domi-  
 ne quid uis faciam? Scimus enim non sufficere, si uitae  
 rimus malum, nisi & faciamus bonum, ut Dauid in-  
 quit: Declina à malo, et fac bonum. Etenim irrisio est,

Conscienti-  
 am mādata  
 dei obstrin-  
 gunt sola.

non fides, si assit opportunias faciendi bonum, & ne-  
 gligatur. Hic nolim te ex quibusuis operibus, si omis-  
 sa fuerint, hominē iudicare, uel etiam te ipsum mœro-  
 re contristari: sed mandata dei si seruantur, salua nimi-  
 rum est fides. Et quæ nam mandata illa? infra audies  
 cap. 3. Hoc est præceptū, ut credamus in nomine filij  
 eius

eius Iesu Christi, & diligamus nos mutuò, sicut ille nos dilexit. Vides hic præcedere fidem & subsequi charitatem? Obserua autem & Euangelistã, quo nos ordine instituat. Primũ nos ex agnitione diuinæ claritatis nostras tenebras vult agnoscere, & per fidem in Christo purgare et illustrare. Deinde exigit sabbatũ, nempe ut quiescamus à peccatis, quæ seruilia sunt opera, dicens: Hæc scribo ne peccetis. Nũc autẽ tandẽ quid agẽdũ docet? Necessarius ille ordo est. Frustra enĩ ad opera prorũpis bona, nisi primũ ieceris fundamentum fidei, & animum insumpseris ultra non peccãdo. Sicut neq; cum Christo nouus homo resurges, nisi ueterẽ hominẽ cũ suis cõcupiscẽtijs crucifigas. Quin nulla erũt bona opera, nĩ antea bonus ipse fueris: nequaquam autem bonus eris, nisi te fides iustificet: neq; iustificatus eris uel fidelis, si quippiã tibi mali placuerit. Hoc gradu ad opus perge, crede primum, credendo fuge à malo, fugiẽdo à malo fac mãdata domini: ut dicit Ioãnes, In hoc scimus, quod cognouimus eum, si mandata eius obseruamus. Et declarat quomodo mandata serues.

Qui seruat, inquit, illius sermonẽ, uerẽ in eo charitas dei perfecta est.

Diuina charitas impletio est mandatorum, & le- Charitate  
gis. Finis præcepti enim. 1. ad Tim. 1. est charitas ex implentur  
puro corde, & fide non simulata. Quæ et hic nobis mandata  
proponitur. Si uera & perfecta charitas est, non plus dei.  
diliges fratrem uel matrem, uel teipsum, uel ullam cre

IN EPIST. IO. I.

aturam quam deum, nullis parces sumptibus ut dei nomen sanctificetur. Et ita in ipso eris. Vinculum enim charitas est, quo per fidē deo cōiungimur, dum ab illo amamur, et redamare cogimur. Lex illa est dei, de qua Hiere. 31. Dabo legē meā in uisceribus eorū, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in deum, & ipsi erunt in populum. Datur enim cordibus nostris per spiritum sanctū, ad Rom. 5. O felix nexus, adherere domino, & esse populum domini. Hanc felicitatem & Ioannes docet, dicens:

In hoc scimus, quod in ipso sumus.

**Fide in deo sumus.** Iterū audis, scimus, multo secus quam Sophista docent. Confert hoc nobis charitas per fidem, ut iam sumus in deo, & non solum sumus in deo, sed & ipse in nobis. Cōiuncta enim illa duo sunt, ut Ioan. 15. Manete in me, & ego in uobis. Qui manet in me, & ego in eo. Manemus in deo, si fide deo adhæserimus: manet deus in nobis, si operatur in nobis sua opera, & facit adimplere legem suam, ut nihil nobis sit condemnationis. Iam non erit quod ultra causeris arduam, & impossibilem legem. Habitabit enim in te per fidē qui legem adimplet. Vnde Paulus Galatis: Viuo ego, non iam ego, sed Christus in me uiuit. Vitam autem, quam nūc uiuo in carne, per fidē uiuo filij dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Hinc habes per fidē nos esse in Christo, et in nobis Christū uiuere, facientē nos uitalia opera operari (Mortua enim alioqui forent, facit

facit autē ut operemur opera charitatis ) atq; ita nihil minus ociosum fide . Verum ut adhuc uberius doceat , quid Christus in nobis operetur , inquit :

Qui dicit se in illo manere , debet sicut ille & ipse ambulare .

Hoc est , qui adhæret Christo , & habet inhabitatorem Christum , debet exhibere alterum quendam Christum . Ut sicut Christus in hunc mundū uenit , et se totū nostris usibus impendit : ita id ipsum et nunc in nobis faciat , sibi non dissimilis . imò impossibile est , ut sibi sit dissimilis . Sicut olim mortuus fuit pro nobis , ita tāta charitate nos succendat , ut parati simus , & gaudeamus , & indignos arbitremur nos tanto dei beneficio , qui periclitemur pro fratribus , etiamsi pro illorum salute moriendum sit . Itaq; per fidem enitmur , ut uitam Christi non solum imitemur , sed sit in nobis uita Christi . Post hac ne dixeris , gigas Christus est , nos pigmæi . Habe fidem , & eris etiam ipse gigas admirabilis , operabitur que fides , imò spiritus ipse Christi per charitatē , te organo plurima . Et olim nulla intermisit Christus quæ charitatis erant , & hodie in te idem Christus erit . Olim amore nostri flagellatus est , crucifixus est , opprobriatus est : erit & hodie in te Christus patiens . Olim se suaq; oīa nobis peccatoribus adhuc & inimicis , liberalissime dedit Christus : erit et hodie Christus in te benignus , tantū abest ne inuideat . Qui desiderabat crucem , et sitiebat salutem nostrā , se exinaniebat ,



IN EPIST. IO. I.

pro crucifixoribus orabat: neque hodie in nobis uel  
 que sua sunt queret, uel uindictam cogitabit, uel par-  
 uos fastidiet: sed erit omnia omnibus, sicubi quos lucrū  
 facere poterit. Cessabitq; cauillum corū, qui fidei tam  
 iniqui sunt, & nisi impij prorsus sint, uidentes opera si-  
 delium, glorificabunt patrem, qui est in cœlis. Cui sit  
 gloria in secula, Amen

DE MEGORIA SEXTA.

**H**Xierunt olim, sicut his diebus legi-  
 tur in ecclesia, turbæ ad Ioānem Ba-  
 ptistam, non solum ut baptizarentur,  
 sed etiam ut reciperent doctrinas ui-  
 tæ, & dirigeretur uia earum coram  
 domino cōmodum manifestādo. Ita mihi polliceor, uos  
 quoque simili spiritu huc confluere ad alterum Ioan-  
 nem, Euangelistam inquam, quæ nunc per dies aliquot  
 enarrauimus: ut acceptis uitæ doctrinis, parati sitis  
 ad celebrandum diem festum memoriæ natiuitatis do-  
 minicæ, et leti cum omnibus sanctis occurratis in die  
 iudicij, quando cum maiestate et gloria magna reditu-  
 rus est: quæ timent dæmones & antichristus, & omnis  
 qui illius charactèrem gerunt. Etenim sicut Baptista  
 Iesum humilem digito ac uoce indicauit esse Christū,  
 & aduenientibus salubria recte uiuendi præcepta de-  
 dit: ita & hic noster Ioannes subinde testans maiesta-  
 tem Christi, utilissima simul tradit mādāta. Et qualia  
 sint illa

sint illa, uobis nuper explicauit paucis, dicens: In hoc scimus, qđ in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulauit, et ipse ambulare. Hoc praeceptum Christi est, ut maneamus in eo, quo & ipse maneat in nobis. Duo enim illa necessaria sunt, nempe quod maneamus in eo per fidem, & quod ipse maneat in nobis operans sua opera, ut ambulemus sicut ipse ambulauit. Christiani enim dicimur, nō ab absente, sed a presente & habitante in nobis Christo, inq; omni uita nostra relucente. Etenim sine eo nihil poterimus facere. Ipse igitur docet ac operatur charitatem. Illa nostra lex est: hāc seruantes, laeti ac securi ad tribunal Christi accedere poterimus, & aduentum eius cū prudentibus uirginibus intrepidi expectabimus, nullaq; condemnatio erit his qui Christo implantati sunt per fidem. Aut quomodo possibile, quod seipsum damnet Christus? Sed pergamus legendo.

Fratres, non praeceptum nouum scribo uobis, sed praeceptū uetus, quod habuistis ab initio. Praeceptum uetus, sermo quē audistis ab initio. Rursum praeceptum nouum scribo uobis, quod uerū est in ipso, idem uerum est & in uobis.

Respondet hoc loco his qui dicunt: Nouum, & magnum mandatū est, ambulare sicut Christus ambulauit: quandoquidē in Christo omnis gratiae plenitudo est;

IN EPIST. IO. I.

nos autem puluis & umbra sumus. Vbi, dicunt, compa-  
rebimus? Impossibile hoc nobis mandatū. Illis inquā  
respondet, Fratres: quasi diceret, Absit, qđ ego qui frā-  
ter sum uester, et proinde nec superior uobis, ut nouū  
quiddā iniungā. Nihil itaq; noui doceo, sed præceptū  
uetus qđ habuistis ab initio, et ab eo tēpore, quo i serti  
estis Christo, edocti estis, et habuistis, illo in uobis hoc  
operāte. Neq; enī Christianus est, in quo Christus hoc  
nō operatur. Nouū non est, quod lex et prophete exi-  
gunt, & in quo recapitulantur omnia quę in lege scri-  
pta. Vult enim omnis lex ut uitā exprimamus Christi,  
eius scilicet charitatem. Est hic locus respondendi in-  
eptis, & intempestiuis nugatoribus, qui abhorrent  
(quid non ferūt tempora?) à prædicatoribus Euange-  
lij, quasi nouam fidem, nouam legem, nouum deum do-  
cētibus: homines ipsi absq; omni fide, lege et deo. Proh  
pudor, ad eōne doctrina Christi antiquata est in huma-  
nis pectoribus, ut quum apostolica docentur, noua  
quædam proponi uideātur? Quem nouum deum præ-  
dicamus, docētes, ut is habitet in cordibus nostris, qui  
erat ab initio? Necessum est, illum ignorēt. Nam si eū  
nosset, nobis neuiquam contradicerent. Nouicius et  
ficticius deus, Lucifer est, ac antichristus, & quicumq;  
se opponit ei qui fuit ab initio. Nouos deos sibi faciūt,  
qui relicto uerbo dei, hominum seruant mandata. No-  
uam fidem docet, qui Euangelio aduersatur: imò fidem  
non docet, sed superstitionum tenebras, et abominati-  
onem

De nouo  
deo ac noua  
doctrina.

onem, quisquis talia docet, eradicabiturq; à patre, eo quod non est ex plantationibus quas plantauit pater. Noua mandata, hominum sunt mandata, & phariseorum traditiones: qui illa docent, hi nobis mutant terminos antiquos, hi nouas uias ostendūt. Nouam fidem nouumq; mandatum habent, quibus nouus est deus, et qui aliquādo esse cœpit. Noster deus nunquā cœpit esse. Traditiones patrum scripturanusquam magnificat, alibi etiam tradit: quid igitur arguimur, qui solum diuinam legē suscepimus prædicādam? Propter **Mandatum** ea Ioannes dicit: non mandatum nouum scribo uobis, uetus et non sed uetus: nam illud sancti patres & prophetæ qui retro fuerūt, habuerunt omnes: tamen si ratione quadam nouum appellare liceat, quandoquidem malis nostris moribus antiquatum inuouatione opus habet. Unde & Christus homo propter nos factus, renouans, illud suum proprium mandatum uocat, ac nouum, in nostri scilicet condemnationem, quia id negleximus, iuxta ueterem hominem uiuētes. Et idcirco nouum est, quia à Christo datur, & in cordibus nostris scribitur, sicut dixit Hieremias. Verum quomodo id fiat, subiicit.

Quod uerum est in ipso, idem uerum est & in nobis.

Hoc est, quia uera charitas est in Christo, et nos adheremus Christo, ideo et in nobis uera est charitas **Christus in**  
nec est ignaua fides. Non solum quia Christum imitamur, **Christianis** similes nos illi exhibendo (id quod solum fatētur



quidam) sed & quia inhabitator cordis nostri ueram illam facit: quamuis egre id admittant miseri Pelagiani, nimirum tam uiuificatricem iustitiam, quàm originale peccatum negantes, & tantum nos uel primum, uel secundum Adam imitari credentes, ita ut non regnet peccatum, uel dominetur Christus, ipsi uidelicet suo libero arbitrio, quando libuerit, fortes, sapiētes ac sancti. Iam si quis ultra querat: quomodo ueritas & uera charitas in nobis, qui in tam crassis uersamur tenebris propter mortale corpus quod aggrauat? Fate mur tenebras, sed per fidem illæ nunc trāscunt, abolenturq; uetus homo, & quæ ex illo philautia, ac concupiscentiæ. Lux enim ita propellit tenebras, ut consistere nequeant, sed discussæ locum dent Christo, in operibus nostris resfulgēti. Quod Ioānes his uerbis dicit:

Quia tenebræ prætereunt, & uerum lumen iam lucet.

Hoc & Paulus dixerat: Fratres, hora est nos de somno surgere, nox progressa est, dies autem appropinquat. Et alio loco: Tenebræ eratis, & nunc lux estis. Et iterum: Exuite ueterem hominē, ac induite nouū.

Lumē fidei  
efficax.

Quod sanè fide cōtingit. Igitur fides lumē est, et ignis, nō qualis in silice clausus, uel modio tectus; sed lucens extra per opera, & intus uigens in ueritate, ne hypocrisis in putes. Et ut clarius scias, non esse in eis fidem, in quibus non operatur dilectionem proximi, nec esse lucem, quæ non amore inflammet, sed tenebras, ac mendacium.

*adacium*: sicut Euangelista docet.

Qui dicit se in luce esse, & odit fratrem suum, in tenebris est usq; adhuc.

Adhuc est in tenebris sicut antea, quum nondū innotuisset ei uerbum dei. Animaduerte autem quod nō loquitur de conuicijs, contemptu, homicidijs, et exteris alijs, sed interno odio. Et quum illi, qui solo corde persequuntur uel oderunt fratres, adhuc in tenebris sunt: quanto magis ubi odium in seuitiā & furorem, & eadem prorumpit? Hoc probat à cōtrario, dicens:

Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & offendiculum in eo non est.

Quia enim qui diligit, est in lumine, consecratur ut qui odio habeat, adhuc sit in tenebris. Quid enim amor quàm flagrantia, & calor? Igitur odium, frigus & glacies. Iam unde calor, quàm à luce? & unde frigus, quàm à remotione lucis, & tenebris? Vbi ergo odium, ibi tenebræ: ubi charitas, ibi lux & calor. Caueat autem diligenter, ne quis fucatam charitatem fidei, uel contemptibile, paruæq; iacturæ odium existimet. Postquàm enim de charitate loquutus est, addit: & offendiculum non est in eo. Sicut & David dixit: Pax multa diligentibus legem tuam, et nō est illis scandalum. Felix est & nulla re nocetur, qui fidē habet, & est charitas tam flagrans, ut nullis iniurijs queat restingui: omnia in bonam, quantum fieri potest, par-

IN EPIST. IO. I.

tem interpretetur, nullum temere offendant, nullius etiam uita offendatur: ita ut sese relinquat, & si quos infirmari uidet, cum eis infirmetur, condoleat, misereatur, excuset, pro eis oret. Firma est, & propterea non offenditur. Et iterum à cōtrario de inuidis docet.

Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò uadat: quia tenebræ obcæcarunt oculos eius.

Odium & inuidia non solum carent luce fidei, sed præcipitant inuidos in uaria scelerū genera, ut ubiq; offendantur, etiā in his quæ bona sunt, & nec Christo Cæci et ob- parçāt. Adeò et lux ipsa infirmis oculis offendiculū est. noxij scan- Ad hæc, ex tenebris illis proficiscitur, ut increduli de dalis, inui- operibus suis nequeant iudicare, gratā ne sint deo nec di et incre- ne, et nesciāt quàm grauis sit peccati natura, uel quant duli. ta sequantur supplicia. Quare hic multi mortē hominis non minorē faciūt, quàm anseris? quare calūniari, obtrectare, persequi quidam non habēt pro peccato? Acceperant oculos scientiæ à deo, sed tenebræ obcæcant. Non considerant enim se decem millia debere, dum pro nibili proximum suffocant, nec animaduertunt, quanta pro ipsis Christus tulerit, & quàm misericorditer redemerit, ut et ipsi misericordes sint. Quo satis manifestum, sanctam esse credentium, & pessimam incredulorum uitam, dum fides dilectionem operatur.

*patitur, incredulitas philautiæ & odij sons est. Caterū  
Euangelista rediens ad id quod primo dixit, non pone  
re se nouum præceptum, subdit:*

Scribo uobis filioli, quod remittuntur uobis peccata propter nomen eius. Scribo uobis patres, quia cognouistis eum, qui ab initio est. Scribo uobis adolefcētes, quoniam uicistis illum malum. Scribo uobis filioli, quoniam cognouistis patrem. Scripsi uobis patres, quoniam cognouistis eum, qui ab initio est. Scripsi uobis adolefcētes, quoniam fortes estis, & uerbum dei manet in uobis, & uicistis illum malum.

*Vt uideatis, inquit, me nihil noui asserere, ecce eadem quæ olim scripsi et docui, nunc quoq; scribo ac doceo. Olim docebam nihil tribuendū nostris operibus, sed per nomen Christi remitti peccata, id ipsum et nūc assero & scribo filijs. Et quia facti estis filij primū per illuminationem, & deinde proficiendo facti estis patres: insuper ita facti estis et fortes ac perfecti, ut audeatis mori pro fratribus, uincatisq; malignū: idcirco hac de re sicuti olim docui, ita nūc scribo omni spiritali etati, et qbus olim scripsi, et nūc scribere nō omitto. Scripsi olim patribus, nulla annorum ratione habita.*



IN EPIST. IO. I.

sed ideo, quia cognouerūt longe antiquiorem, cum sci-  
 licet qui est ab initio, ijsq; eā ob causam adhuc scribo,  
 eo quod nisi illum agnoscant, nomen senis non meren-  
 tur. Neq; enim multi anni senem spiritualem faciunt,  
 sed magna dei cognitio. Et sicut olim, ita nunc scripsi  
 filiis, non ad eos respiciens, qui nuper maternum  
 egressi uterum, sed ad puram innocētiam, ut omnis no-  
 stra iustitia in Christo sit, quod credētes adsciscātur in  
 filios. Nec omisi, quin et ad uos uiros scriberē, sicut &  
 olim scripsi, ut uiriliter certetis contra malignū, atq;  
 ita nullis uel delicijs, uel aduersitatibus frāgamini, ut  
 psaltes hortatur: Viriliter agite, & cōfortetur cor ue-  
 strum. Et Paulus: In omnibus sumite armaturā fidei.  
 Atq; ita certantes coronā accipiatis perpetuam, quæ  
 & nobis contingat per misericordiam Christi, Amen.

DE MEGORIA SEPTIMA.



Vdiuimus diebus superioribus, quan-  
 tos proferat fructus fides, nempe ne  
 relabamur in peccatum, & ut diliga-  
 mus proximum. Illos tamen Euan-  
 gelista mandatorum nomine propo-  
 suit, dicens: In hoc scimus, quod cognouimus eū, si ius-  
 sa eius obseruamus. Et nunc item alium fructum pro-  
 ponit, adhuc formā mandati seruans, et dicens:

Ne diligatis mundum, neq; ea quæ in  
 mundo sunt,

Habet

Habet & hoc peculiare ueritatis lumē, quod per fidē illucescit, ut rem quamuis ita nobis depingat sicut est. Nō sinit parua uideri magna, neq; magna parua, neq; turpia pulchra, neq; pulchra turpia, neq; bona mala. Proinde deum ut solum bonum, pulchrum, iucundum, & amabilem, omnes autem alias creaturas quasi umbras & uanitates delinuat. Et hæc ita ostensa ad boni amorem, uanitatēq; contemptum inducunt. Vnde fides fructum illū producit, ut sicut cor deo totum uendicat, ita à creaturis abalienat. Quæ sanè haud parua uirtus est. Nam pleriq; ut apparet, pacē habent cum proximo (uel quod per se magnum bonū sit pax, & cruciet corda liuor, uel quod multa cōmoda secum afferat amicitia) nec tamen se à terrenis rebus extulerunt, uoluptatibus adhuc immersi. Fides igitur ubi uera fuerit, & ab hoc uolubro extrahit, interdicens, ne uel mundum, uel quæ in mundo sunt diligamus: sed simus peregrini in hoc seculo, ciues autem cœli. Neq; enim manentem hic ciuitatem habemus, sed crucifixi sumus mundo, sicut & mundus nobis crucifixus esse debet. In quem sensum Ioānes dixit: Ne diligatis & c. Sicut & Dauid: Filij hominū usquequo graui corde? ut quid diligitis uanitatem, & queritis mendaciū? Et Sapiens: Vsq; quo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi noxia sunt cupient? Mūdum enim cum his quæ in eo sunt, uanitatē dicere licet, ac mēdaciū. Nā nihil in illis stabile, nihil fidū, nihil uerè dulce. Et Solo

Fides rerū  
ueritatem  
docet.

Fides docet  
contemptū  
mundi.

mon iterum dicit: Vanitas uanitatū, et omnia uanitas. Hæc autē deo præposuisse profecto stultissimū fuerit. At dices: Hoc non est Christianū facere, sed stupidū potius ac stultū, si quem sensu & affectione harū rerū te

**Affectio-**  
**nes à crea-**  
**turis alien-**  
**andæ.**

**Mundus, id**  
**est, crea: u-**  
**ræ.**

neri nolis. Dilecte, ne tibi auulsi à lacte, & depulsi ab uberibus cōsolationū huius mūdi, bruti uideātur: diuini enī reēctius cēsantur, et deus tales diligit, mysteriaq; à sapientibus abscondita eis reuelat. Si autē quis dicat: Nōne deus creauit mundū, & ea quæ in mūdo sunt? & ut est Ge. I. uidit deus cūcta, quæ fecerat, et erant ualde bona? Vnde et digna quæ diligātur, alioqui si a mari nō possint, uiderētur per se mala esse. Mouentur his quidā ut per mundū non intelligāt creaturas dei: sed per mundū, cuius diabolus princeps est, tenebras & malas cupiditates accipiūt. Sed nihil impedit, si & creaturas dei intelligas: nō enim ita diligēdæ, ut præferantur suo conditori. Quamuis autem non sint diligēdæ, usus tamē carum non interdicitur, modò citra gratiarum actionem non fiat, ut sapiens dicit Eccles. 5. Hoc uisum est mihi bonum, ut comedat quis & bibat, & fruatur letitia ex labore suo, quo laborauit ipse sub sole numero dierum uitæ suæ, & hoc est pars illius. Et omni homini cui deus dedit diuitias atq; substantiā, potest atq; dedit ei, ut comedat ex eis, fruatur parte sua, & letetur de labore suo, hoc est donum dei. Etenim nec omnis dilectio prohibetur: est enim hoc loco græcè ἀγαπᾶν, ut significet, ne charitatē deo de-

bitam

bitam creaturis impendamus, sed illas catenus diligamus quatenus in eis bonitas dei relucet. Diliguntur igitur recte aliquo modo, sed ita, ut quicquid eis impenditur amoris, deo impendatur. Hinc etiã est, ut plus diligenda ea in quibus diuina gloria magis conspicua: Id quod non arguit stupidum, sed coelestem & angelicum hominẽ. Nã inde oriuntur iustitia, misericordia, aliãq; uirtutes. Quod si talis amor aduersus esset deo, indigne præcepisset parètes coli, indigne & amorem illũ pectoribus inseuisset, indigne Apostolus a sôgryoug inter flagitiosos recẽsisset. Porrò Christiani hominis est meditari mortẽ quandã, qua mũdo illi moriatur, et nullis affectionibus, uel amicorũ, uel prædiorũ à recto abstrahatur. Sicut Christus dicit: Qui patrem, uel matrem plus amat q̃ me, non est me dignus. Et quomodo hunc oporteat amorẽ solum esse, subdit cõsequenter:

Meditatio  
mortis.

Omnis qui diligit mundum, charitas dei in eo non est.

Neq; deum, neque fratrem recte diligit in deo, qui mundum diligit. Non enim deum quærit in creaturis, sed in deo & fratribus mundum. Ita dei & creaturarum amor non commoratur in uno corde: sicut etiam impossibile est deo seruire, & mammonæ. Et nulla societas lucis est, ac tenebrarum: non quod creaturæ male sint ac tenebræ: sed si quis deum non colit in creaturis, tenebras colit. Interim quum Euangelista dicit,



patris, & non dei: commonefacit nos dignitatis nostræ, quod filij dei sumus: & concordie & amoris, quem mutuū debemus nos quibus unus est pater. Iam quia aliud est mundus, & ea quæ in mundo sunt: docet & quæ in mundo sunt fugienda, amoreq; nostro indigna: dicit enim:

Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & fastus uitæ.

**Tria uitia  
mundi.**

Tria præcipua uitia indicat, quæ maximam hominum partem à deo abstrahunt: nos ea alijs nominibus simpliciter dicere possumus, superbiam, auaritiam, luxuriã. Multos inuenies nõ libidinosos, sed auaros: & iterum multos non auaros, sed incontinentes: deniq; si qui non fuerint uel auari uel incontinentes, superbia intumescunt, & si non in alijs rebus, de operibus tamen & sanctitate, uel coram alijs, uel intra se gloriantes. Tætavit de tribus illis & Christũ diabolus, quem ad gulam, & carnis concupiscentiam irritans dicebat: Si filius dei es, dic ut lapides illi panes fiant. Vane gloriosum uolēs iubebat, ut se deorsum de pinnaculo templi mitteret. Deniq; & promittēdo omnia regna mundi, de auaritia tētabat. Aduersus quæ mala nobis quoque exemplo Christi certandam, cuius amore proximos diligentes, etiam mundum contemnimus, quando quidem & ipse mundum prior contempsit. Et uide  
strategie-

strategemata Christi. Contra concupiscentiam carnis, quum ipse obedientissimam haberet, propter nos ieiunauit, laborauit, fatigatus est, flagellatus & crucifixus: contra concupiscentiam oculorum, in extrema paupertate fuit, nec habēs ubi caput reclinaret. Humiliter autem ministrans nobis, & obediens patri usque ad mortem, quàm alienus à fastu esset, declarauit. Ex his cognoscimus qui sunt mundani, & qui non. Ne præstringat oculos tuos quorundam hypocrisis, qui ideo uolunt dicere mundo mortuos, spirituales & non mundanos, quod solitudinem quæsiuerint, à conuentu hominum profugerint, singulari ueste, cibo, uiuendiq; ratione agāt: de quo nihil Christus docuit. Nō sunt enim hæc quæ minus mundanum faciunt. Regnum dei intra nos est: & mundus quoq; affectibus nostris uel amatur, uel fugitur. Regnat & in monasterijs ipsissimus mundus, & apparēt manifeste in cellis ea quæ in mundo. Stulte enim fictam prætexūt obedientiæ humilitatem, qui nō permittūt obedire parentibus, uel seruire proximis, qui exempti esse uolunt ab omni hominū labore, quasi soli filij dei sint, & totus eis mundus seruire debeat, propter ementitā quandam operum sanctimoniā, in quibus gloriantur, quæ & uendunt, & eorum alios participes faciunt, ita ut sua omnia tam sancta putent, ne alijs attingere fas sit, cū quibus pharisæi uide muncollati, humiles uideri queant. Neq; ibi concupiscētia dum in oculorum desyderatur. Vbi amœniores horti, ubi tam nasterijs.

Strategie-  
mata Chri-  
sti contra  
mūdum.

magnifica ædificia, ubi accuratiora suppellectilia, ubi tam preciosæ imagines, ubi tam ingeniosa torcumata. Coempti sunt agri, uineta, prata, uillæ, redditus annui, decimæ: & prospectum omnibus modis ne egeant; nihil illis nocet, uel grando uel pruina, & est saluus interrim ficticius quidam paupertatis titulus. Quid de concupiscentia carnis dicam? neq; illa domatur ut oportet, cœlibes nōnulli ita sunt, ut scorta puriora recte dixeris. Quæ enim clam fiunt, honestas dicere non permittit. Sed ut cōcedamus illos alienos à Veneris operibus: uide qualis cordis affectus sunt, ubi labor deest, ubi copiosa sercula, ubi uina quoq; largius sumuntur. In summa, uētres sunt pigri, & inutilia terræ onera. Vbi autem talia, quis non dicet mundum ibi regnare? Pugnāt enim illa cum deo. Quod si alicubi rerum illarum contemptum uideris, siue hoc sit in palatijs principum, siue monasterijs, uerè ibi non esse mundū dixeris. Et quare fugienda illa quæ in mundo? Respondet Ioannes de superbia, & arrogantia:

Non est ex patre, sed ex mundo.

Mundani fastum amant, pater cœlestis superbos abominatur, humilibusq; dat gratiam. Et omnis plantatio, quæ non ex patre est, eradicabitur. Deus spiritus est, sanctus & immaculatus. Itaq; qui deum amāt, ea quærunt quæ spiritus, quæ sancta, & quæ immaculata. Est & alia ratio, quare mundus cum suis conuenendus, quam & ipsam ponit, dicens:

Et

Et mundus transit & concupiscentia eius. Qui autem facit uoluntatem dei patris, manet in aeternum.

Ita & Paulus : Præterit figura huius mundi . Perdenda est olim Babylon illa , quantumuis pulchra sit , cum suis ædificijs , delitijs , & pompa . Et transit quidem uoluptas in peccatoribus , manent autē reatus & pœna in perpetuū . Quod designat diues euangelicus , qui induebatur quotidie bisso & purpura , & epulabatur splendide . spoliatus nunc bonis omnibus , non habet quo oblectet oculos , nec guttā impetrat qua refrigeret linguam . Quantū habuit deliciarū , tantū quoq; habet tormentorū . Vnde salubre mandatū est , contempto mūdo , deum amare , & in deo oblectari . Qui enim facit uoluntatē dei , manet in æternū . Et quæ est uoluntas dei ? sanctificatio nostra . Sanctificatio autē nostra est per fidē in Christū , per quā diligimus nos mutuū , & abstinemus ab inquinamentis huius seculi . Quod qui facit , tanquam fundatus supra firmā petram , à nullis tempestatibus subuertitur . Hoc oremus , ut & nobis concedat pius pater per Iesum Christum , Amen .

## DEMEGORIA VIII.



Bunde indicata salutis nostræ ratio quantū in enchiridio licet . Fide enim in Christum , qui pro nobis sanguine suo satisfecit , peruenimus ad communionem dei & sanctorū . Nam pecca



tores nos esse scitebimur, peccata detestabimur, amabimus fratres, municipatū habebimus in coelis, mūdūq; & concupiscentias eius nō diligemus: sed ut mūdo renūciauimus in baptismo, ita spōte mundo carebimus, omnesq; alios fructus fidei producemus, ac ea quæ mā data sunt à domino seruabimus: nūc quoniā multa nos in uia salutis remorari solent, reliquū, ut omnia illa salutariibus admonitionibus rescentur, & urgeamur in uiam, ne uel ignaui & desides non curramus, uel in cursu deficiamus, sed permaneamus. Et quāuis fideles

Adhortationes necessariæ.

ωρασανκτορ, hoc est in hortatorem intra se habeat, placuit tamen deo, ut sicut per uerbum & prædicationē fidē accipimus. Quomodo enī credēt, inquit Paulus ad Rhom. 10. si non audierint? ita fidem quoq; uerbo pascamus. Neq; enim in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit ab ore dei. Proinde in hortationes & admonitiones ad hoc non fuerint inutiles. Et audite, quanta solitudine etiam hoc munere fungatur Euangelista. Sequitur enim:

Filioli, extrema hora est.

Efficaciter, si quid aliud, admonet extremae horæ memoria, si scilicet semper in auribus sonet, quod uirginibus dicitur: Surgite sponsus uenit, exite obuiā illi. Ita & Christus admonet: Vigilate, quia nescitis neque diem neque horam. Verum hoc amplius fuerit dicere, Vigilate, extrema hora est, & iam sponsus uenit. Ita & Christo ascendente in cœlum, dicunt angeli apostolis: Ita

Ita

lis: Ita ueniet sicut uidistis eum euntem in coelum. Iacobus quoq; inquit: Patientes estote, & confirmate corda uestra, quoniã aduētus domini appropinquat. Nolite ingemiscere alius aduersus alium, iudex ante oculos assistit. Et Paulus. 1. Cor. 1. Expectantes reuelationem domini Iesu Christi. Insuper. 1. Cor. 7. Tempus contractum est, superest ut qui utuntur mūdo hoc, sint tanquam non utantur, uidelicet eum non diligendo. Porrò in tāto timore dei uixerunt olim sancti, quasi ipso die ducēdi essent ad iudicem, & omnem diem pronouissimo habuerunt, sequuti consilium Sapientis: Recordare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Alioquin omne tempus ab aduentu Christi primo usq; ad secundum, nouissima hora est, & undecima qua Nouissima. conducuntur quidam in uineam. Vnde & plenitudo temporis: & apud prophetas, tempus regni Christi per nouissimos dies signatur, ut Esaie 2. & Mich. 4. Erit in nouissimis diebus preparatus mons domini in uertice montium. Præterea & Christus clamat consummata omnia. Quid igitur mirū si nouissima dicatur hora? Et tu ita admonitus esto. Memoria Et tu ita admonitus esto. Ecce si pollicitus es aduētus do set rex se daturū ad certam horam ueniētibus calices aureos, uel aliud desyderabile quiddã: non ueniētibus mini. autem nō solum negaturum illud, sed & plagas irrogaturum: cuius pedibus non adderet alas timor, si au directur esse nūc extremæ horæ articulus? Sanè maximam hominum partē seducit fallax lōgioris uitæ pro-

missio, quãuis quotidie tot uideant efferri, qui uel propter ætatem, uel robur corporis, uel subsidia, & curã medicorũ multas polliceri sibi annos potuissent. Iam quomodo persuadeat, et quibus cõiecturis, audiamus.

Et sicut audistis, quod antichristus uenturus sit, nũc antichristi multi facti sunt. Vnde scimus, quia nouissima hora est.

Ex antichristis colligit nouissimam horam in foribus esse. Sed quid dicemus ad Paul. 2. Theff. 2. qui rogat per aduentum illum domini, ne turbemur per epistolam, quasi instet aduentus domini, ne quis decipiat ullo modo. Et nunc Euangelista agit, quasi aduentus eius proximus sit. An non sunt contrarij? Minime. Vterq; enim ex anteambulonibus antichristi, aduentum probat & antichristi: ex aduẽtu antichristi, insta re aduentum Christi, qui illum claritate sua aboleat. Et quod hic Ioannes dicit, Nũc antichristi multi sunt: Paulus ait, Mysterium nunc agit iniquitatis. Cæterum his qui obijciunt non uenturum diem illum nisi uenerit primum discessio, & reuelatus fuerit homo peccati: Respondemus, hoc argumento potissimum doceri non longe abesse illum diem. Ita enim præluditur, ut non uideatur multum diu posse tardare. Quapropter uel hac causa excussum iri omnem oportebat segnitiam, maxime nobis respicientibus ad tempora nostra, in quibus non solum anteambulones antichri-

De anti-  
christo.

sti, sed & antichristus ipse regnat: & ut prædictū est, in templo dei stat abominationis idolum, idq; signum certius appropinquantis aduentus dominici, quàm signa omnia, per quæ terrentur homines. Discessionem illam terribilem clarè ante oculos cernimus, nempe præuarias apud Daniëlē, & apud Paulū operationē erroris, ut credatur mēdacio. Discessum etenim est à fide ad ceremonias, & à uerbo dei ad traditiones hominum. Aut uide ipse, quid doctores, quid episcopi, quid patres monachorum doceant: aut lege quæ Petrus de seclis dicit: quæ introductæ sunt, & abnegant dominum, qui nos mercatus est: quæ impiæ, mēdaces, per auariciã de nobis negociantur. Et quoniã in hunc locum peruenimus, monenda sunt adhuc quædam de antichristo. Et quid est antichristus? aduersarius Christi, isq; præcipuus. Magis autem hodie contradicitur Christo, quàm olim per mysterium iniquitatis. Qui enim per hypocrisim & Christianorum nomine nocent ueritati, plus nocent quàm hi qui aperte & per tyrannidem. Non adeò offenduntur infirmi, si Thurcæ & Iudei negent Christū: sed si sacerdotes, & qui uidentur esse domestici ac colūne in ecclesia, contra Christū insurgūt. Cōtra Christū planè insurgitur, dum uerbo et Euangelio cōtradicitur. Iam uidete, & animo perpendite, quantū seuitū sit in Euangelii: exusserūt uiri impij libros Christianos, condēnata sunt publicè apostolica dicta, cōcilijs et præcipū edictis igni perierūt uiri

Discessio.

Antichristus quid.

Contradicitur Christo.



innocētes. Et si hoc nō est cōtradicere Christo, qd ali-  
ud est cōtradicere? Fuit admodū frequēs opinio de An-  
tichristo, quod sicut Christus de uirgine natus, plenus  
fuit spiritus sancti gratia: ita uēturus sit quispiā, ex ma-

Antichri-  
stus non est  
una perso-  
na.

lis hōibus natus, plenus omni uirtute diabolica. At nō  
uidetur ita sentiēdum, sed sicut prophetarum mos est,  
ut per unam personam corpus totius regni significetur,  
ita etiam per hominē peccati, & filium perditionis,  
antichristum, potestas quædam admodum ualida  
nobis insinuat, qua sub nomine pietatis & Christi  
contra Christum pugnetur maxime: atq; ita antichri-  
stus est successio omnium illorum, qui in regno suo ma-  
xime aduersarij sunt Christo. Et hic est rex ille potēs  
facierum, qui à Daniele describitur. Igitur nos nō uni  
personæ impropereamus, sed toti corpori, ut in unum  
caput tandem, sicut in sentinam fluant omnia, quæ pos-  
sent ab illo cohiberi, & non cohibentur: quæ debēt mu-  
tari, et non mutātur: & quæ nō debēt præcipi, et præ-  
cipiūtur. Collige ipse in quæ talia redundāt. Multa in-  
nouari in melius, & iuxta uerbum Christi geri plebes  
uellet, sed nō sinunt sacerdotes. Multa uellēt & pij sa-  
cerdotes, sed nō audēt præ episcopis, & uicarijs. For-  
Rhomanas sedes.

tassis uellent & episcopi, sed addictiores sunt Rhom.  
sedi: & quum illa suam authoritatē requiri cogit fer-  
mè in omnibus, & non solum negligens est, sed planè à  
patrū exemplo, Petri inquā & Pauli desciscit, aliq; uia  
ingreditur, atq; ita interim fremunt gentes, & po-  
puli

puli meditantur aduersus dominum. & aduersus Christum eius: apparet antichristus, & antichristi multi sunt. Et quia in tam periculosa incidimus tempora, magna nobis incumbit necessitas, ut properemus ad Christum & ueritatem, impellentibus nos malis. Insuper quum tot impingunt in petram scandali, & à Christo excidunt, ne ex illorum numero simus danda est opera. Et quod magis terrere potest, addit:

Ex nobis profecti sunt, & ex nobis non erant. Si enim fuissent ex nobis, permanfissent utique nobiscum; sed ut manifestum fieret, quod non sint omnes ex nobis.

Antichristos truculentiores ex nobis prodire docet: unde cum solitudine opus est & circumspectione & prudentia. Habentur enim illi ex Christianorum numero, quum nihil minus sint: tametsi baptismo loti, aliorumque mysteriorum participes, non sunt tamen baptizati spiritu, neque incorporati Christo, à quo uita eorum tam discordat. Oportet itaque antichristi regnum in ipsa ecclesia & domo dei ostentari. Proinde circumspicendum caute, ne cui imponant uiri illusores, ecclesie nomen prætexentes. Hic mos, aiunt, ecclesie est, hoc definiuit ecclesia, ita uisum est patribus. Nam si quidem ecclesia, quæ uerbo dei regitur, caretque ruga & macula, aliquid decerneret, ab eius decretis deficere, quid aliud esset, quam Christum ipsum negare?

Antichristi  
regnum in  
ipsa eccle-  
sia.

Sed quum antichristianorum factio, Christi nomine, & ecclesie prætextu se uēditat, & statuit nonnunquam quæ cum Christo ex diametro pugnant: imprudentie fuerit tam leuiter pseudoprophetis aurem præbere. Obediētia profecto modis omnibus necessaria est: sed prouidendum interim, ne dum plusquam simpliciter, hoc est, temere hominibus fas & nefas docentibus, & præcipientibus obtemperamus, deo inobedientes simus: cuius uerbum apud nos minoris est authoritatis, quàm hominum nugæ. Certum est, consilia quantumuis magna, & in nōnullis errasse, & errare posse: uerbum autem domini permanere in æternum. Quid igitur incerta pro certis amplexamur? Nō fuerunt enim omnes illi ex nobis, hoc est de pura ecclesia. Nō fuerūt membra, sed ulcera in corpore: alioqui non exiissent, neq; aliquid talium uel docuissent, uel decreuissent, uel fecissent, quod Christiani per uerbū dei non agnoscūt: nō cessissent in aduersitatibus, non illos mundi delitiæ & uanitas sibi totos uendicassent. Ignis enim probat,

Semel illum  
minati non  
toti exci-  
dunt à fide.

num stipulas uel gemmas super fundamentum extruimus. Colligūt hoc loco nōnulli, semel uerè illuminatos nō posse totos excidere à fide, & exire prorsus ab ecclesia. Nam tametsi Petrus Christū negarit, nō tamen omnino exiuit. Illi reuelationem à patre, & non à carne & sanguine factū scimus, eumq; peccasse non ignoramus, nec tamen defecit penitus eius fides, sicut nec Davidis adulteri: unde & per poenitentiam ac lachry-

mas uterq; redierunt. At si qui ita exeunt, ut non redeant, uerè illuminatos neuiquam credendū. Qui enim redeunt, salua habent adhuc seminaria quædam fidei, nec omnino deplorati fuere. Neq; ullus taliū ita exit, sicut antichristi, qui nō uerè illuminati exierūt, ut aut ueritatem agnitā, aut fratres propter ueritatē impugnent: nullos enim ex talibus rediisse legimus. Incondonabili enim peccato peccarant, nempe in spiritū sanctum, quod neq; in hoc, neque in futuro seculo remittitur. Viderit unusquisq;, qualem hætenus habuerit fidem, & continuo deum oret: Domine auge fidem, adiuua incredulitatem, ne uel cum tanto numero antichristianorum abripiatur, uel imparatus sit, ueniente & uocante domino Iesu Christo. Fiat, Amen.

## DEMEGORIA IX.



ona consuetudo est, in principio concionis precibus gratiam spiritus sancti querere: at non solū in principio concionis orandum, sed si quis fructū percipere uoluerit, prudenter facit, dum persistit in oratione, & mente semper suspensa, non abscedit: intentusq; desyderio ueritatis, nō solū li tera, sed et spiritus est auidus. Nos enī qui cōcionatores agimus, dispensatores sumus tātum mysteriorum dei. Deus ipse est qui dat scientiā, & unicus ille magister in cælis. Ecclesia doctorē alium non habet, quā



*Spiritum sanctum. Sanè quum in locum de antichristis, qui à nobis exierūt, per quàm difficile incidisset Euangelista. quamuis tantus sit, nō tamen se magistrū dicit, sed admonitorem facit, subdens consequenter:*

*Sed uos unctiōnem habetis à sancto, & nostis omnia, Non scripsi uobis, quasi ignorantibus ueritatem, sed tanquam scientibus eam.*

*Quasi diceret: Admonui iā uos de quibusdā quod antichristi sint & ante ambulones aduētus Christi: uos autem testes sitis quàm uere hæc dicā, nō inuidia, neq; lucri amore ductus, uestro enī ipsorū testimonio hæc confirmarim, nec humana, sed diuina per uos sententia. Corda enim uestra testor, quæ dei scientia illustrata, dijudicare ualent inter bonos & malos, sicut prædictū. Omnes erūt docti à deo. Et Paulus inquit: Spiritualis dijudicat omnia, & à nemine iudicatur. Hieremias quoq; dixit: Non docebit ultra uir proximum suum, & uir fratrem suum, dicens, cognosce dominum. Omnes enim cognoscēt me à minimo ipsorum usq; ad maximum, ait dominus. Interna hæc doctrina, quam non reuelāt caro & sanguis, sed pater qui in cælis est, certissima est: illa docente, uera me loqui fatebimini. Itaq; admonéo, nō doceo. Qui non illuminati, & adhuc pueri, doctore egent, & ita Paulus doctore se uocat gentium. Et Dauid: Docebo iniquos uias tuas. At  
qui in*

*De unctio-  
ne.*

qui in ecclesia illuminati sunt, aliorum esse possunt magistri, ad Hebr. 3. & externo doctore non indigent tanquam ignari, quamuis spiritus uti ad mutuam exhortationem nobis tanquam organis uelit. Admoneo quidem ego, inquit: Vobis autem unctio est, per quam haec recte addiscitis. Et quid est unctio? Spiritus sanctus. De illa nemo recte docet, nisi ipsa met sese docuerit. Beatius illam experimur quam docemus. Gustatio enim est dominicae suauitatis, e qua contemptus mundi, coelestiumque nascitur desiderium, imo unctio haec suppeditat. Haec non externa unctio est, qua a suffraganeis sacerdotes inunguntur, nihil praeter oleum contingens, nullum uel meliorem, uel sanctiorem reddens: sed in testimonium duntaxat ordinationis adhibita. Nec qualis illa in ueteri lege, quum ungerentur prophetae sacerdotes & reges, quorum unctio in Christum regem semel confusa, cessante umbra ad ueritatis & lucis ortum, uncto eo, plenitudine gratiarum & donorum in spiritu sancto, a quo & nos Christiani ac uncti participes plenitudinis gratiae eius: quod & hic dicit, Vnctionem habetis a sancto, id est Christo, per quem longe honestiores sacerdotes & reges sumus. Vocatur autem Christus Sanctus, ut Lucae 1. & saepe in propheta Esaiam, ac alijs, Sanctus Israel, eo quod sanctificet Israel & ab Israel sanctificetur. Huius unctionis tanta uis est, ut omnium tribuat scientiam. Non de scientia loquitur quae in flatu de grammatica, de sutoria, de mechanicis, de libe

Vnctio suffraganeorum.

Christus sanctus.

ralibus: sed de ea qua cognoscimus ueritatē ipsam, & quantum ad consequendum beatitudinem nobis expedit. Qui enim fontem scientiarum habet spiritum sanctum, quid ignorare poterit, si res exposcat? Est hic et occultior quædā admonitio, ut cuius spiritus simus cogitemus, nihilq; tanto spiritu indignum faciamus. Est autem unctio, spiritus ueritatis, quo destituti sunt antichristi. Porro quid unctio doceat, subiungit.

Quod omne mendacium ex ueritate non est.

Quid hoc noui est? quis ignorat mendacia non esse ex ueritate? Est ne hæc magnifica illa scientia unctio- nis? Planè mundus totus ita excæcatus est, ut dicat bonum malū, & malum bonū. neq; de uerbis dumtaxat Ioānes hic loquitur, sed & rebus ipsis. Tam deprauati sumus iudicij. Docet autē quid intersit inter regnū Christi & antichristi. Christus ueritas est: Antichristi regnum ex mendacijs. regnum ex ueritate non est. Mendaces igitur ad regnum antichristi pertinent, similiter & omne mendacium. Recte enim locum hūc, ex epistola ad Thessalonicenses interpretaberis, qui dicit: Cuius aduentus est secundum operationem satanæ, cū omnipotentia, & signis ac prodigijs mēdacibus, & cum omni deceptione iniustitiæ in his qui pereūt: et propterea mittit illis deus efficaciam illusionis, ut credāt MENDACIO, ut iudicentur omnes qui non crediderūt ueritati. Nos autem debemus agere gratias deo semper de uobis, dilecti

lecti à domino, quod elegerit uos deus ab initio in salu-  
 tem per sanctificationem spiritus, ac fidem ueritatis.  
 Vides quàm consonet cum Ioãne Paulus? Sensus igitur  
 Ioannis est: Vos scitis hoc hominũ genus ex mēdacijs  
 & imposturis constare, nostrum autem est in luce ac  
 ueritate ambulare. Christus quærit gloriam patris, Cōparatio  
 antichristus suam. Christus regnat in iustitia ac uerita Christi &  
 te, antichristus in mendacio & hypocrisi. Christi re- antichristi.  
 gnium est in spiritu, antichristi uero in externis laruis,  
 Christus detestatur sepulchra dealbata, Antichristus  
 modò externam sanctitatis speciẽ habeãt sui, interna  
 non curat. Meretrix illa Babylon habet aurũ, purpu-  
 ram ac byssum, & mater est scortationũ. Hypocritæ  
 gloriãtur in charactere antichristi, & adorãt draco-  
 nẽ omnes, quorũ nomina nõ sunt scripta in libro uite,  
 agni qui occisus est ab origine mudi. Ille est rex larua-  
 rius apud Danielẽ. Vide enim bullas eius et idola, quæ  
 creat, & innumerarum dignitatum nomina: quæ quid  
 aliud quàm laruarũ nomina? sunt enim nihil præter no-  
 mina. Episcopi nõ sunt re episcopi, Præpositi non sunt  
 re præpositi, Abbates nõ abbates, sacerdotes nõ sacer-  
 dotes, doctores nõ doctores: emũturq; nomina ab his,  
 quos humilitatis typũ præferre alijs oportebat. Con-  
 fer Christũ & antichristũ, apostolos & antichristos.  
 Lauat Christus apostolorum pedes, antichristi pedes  
 oportet reges osculentur. Christus facit ministros, an-  
 tichristus dominos. Christus coronatur spina, anti-



IN EPIST. IO. I.

christus triplici diademate: Christus requirit fidem ac  
 charitatem, & internum cultum: in regno antichristi  
 externa quaeritur iustitia, in uestibus longis, cucullis,  
 rasuris, templis marmoreis, campanarū sonitu, pere-  
 grinationibus, festis prophanis, precibus non intelle-  
 ctis, coelibatu inuolutario, in paupertate ficta, in obe-  
 dientia commenticia, in missarū præter institutionem  
 Christi celebrationibus, altariū multitudine, uigilijs,  
 anniuersarijs. Et quis omnia numeraret, in quibus sub  
 Christi nomine ficta religio pseudoprophetarum irre-  
 psit? quæ ueri adoratores sciunt non esse ex ueritate.  
 Cæterū quia Euāgelista generali nomine regnū men-  
 daciij descripsit, trāsit, & illud uberius deliniat dices:

Quis est mendax, nisi is qui negat Ie-  
 sum esse Christum? Hic est antichristus,  
 qui negat patrē & filiū. Quisquis negat  
 filiū, is ne patrem quidem habet.

Igitur ex his qui Christi nomine censentur, nullus  
 mendax, nullus antichristus est. Nullus enim fatetur se  
 negare Iesum esse Christū, uel non cōfiteri patrem &  
 filiū: totus mundus credit deum factore coeli & ter-  
 ræ. Quis ergo mēdax? quis antichristus? De gentibus  
 & Iudæis nullo responso fuerit opus, quandoquidem  
 ex cōfesso aduersantur Christo, & proinde nec deum  
 patrem credunt, cuius filium non credunt Christum.  
 Sed de pseudochristianis asserimus omnes, quotquot  
 sese ex

sese ex suis operibus, & non ex fide in Christū iustifi-  
 candos putant, negare Christū Iesum. En quanta anti  
 christorum turba, respiciens ad satisfactiones in suis  
 operibus, & nō ad dignitatem Christi. Christus enim  
 ideo incarnatus est, ut quia nostris operibus salui fieri  
 nō poteramus, sua misericordia nos saluaret. Vnde &  
 dixit Petrus, quum de illis diceret, qui clam perditio-  
 nis sectas subintroducūt, hoc speciatim cōmemorauit,  
 quod abnegaturi essent illum qui mercatus est nos. Ne **Abnegare**  
 gant autem omnes qui proprijs operibus, & nō Chri **Christum.**  
 sti misericordiæ, & sanguini salutem suam tribuūt.  
 Quin & impune quidam è suggestu blasphemare au-  
 si sunt, Christum non pro peccatis nostris mortuum,  
 sed solum pro redimendis patribus qui in limbo: nunc  
 nobis necessarium, ut nostris operibus cœlos ingredia-  
 mur. Vbi ergo manet gratia? O blasphemias: An non  
 hoc est abnegare Christū? Vis & alias turbas apostata-  
 rū cognoscere? Dicit dominus: Si ego sum pater ue-  
 ster, ubi est honor? si dominus, ubi est timor? Addam:  
 Si Iesus est Christus, ubi est fides in illum? Iam quid ra-  
 rius uera in illum fiducia? quare ad quorumuis sancto-  
 rum patrocinia currere malumus, quàm Christū? qua-  
 re tam negligenter illi seruiamus? quare fratres perse-  
 quimur, quos Christus redemit? Quoties diabolo cor-  
 pus nostrum inquinādo tradimus, uel ueritatem pro-  
 dimus, nōne Christum negamus? Qui quotidie per  
 uulnera, per dolores, per crucem & sanguinem Chri-

sti inuicem iuramus, nonne Christum abnegamus? Qui hodie tam contemptim de Euangelio, & uerbo eius loquuntur, & prædicatores uerbi persequuntur, nonne Christum abnegarunt? Quid faciunt omnes immisericordes, & quotquot pudet Euangelij, nonne abnegant Christum? Noli interrogare, ubi uidi Christum nudum, & Christum carentem hospitio. Ecce quoties contempnis pauperem Christi, negasti Christum. Nunc & mirare qui negent Christum: imò rectius miraberis, qui confiteantur Christum. Porro dum hæc interrim illi agunt, nobis quid agendum: neque enim satis fuerit non negare Christum. Addit igitur exhortatio Ioannes:

Vos igitur, quod audistis ab initio, in uobis permaneat. Si in uobis permanserit, quod audistis ab initio, & uos in filio & patre manebitis.

**Apostolorum doctrina seruanda.** Vult nos seruare, quæ ab apostolis docti sumus, reiectis nouis, recentioribusque traditionibus. Nam qui post apostolos loquuti sunt, & noua inuexerunt, tanquam homines loquuti sunt. Papas & Canonistas, Thomam & Scotum, atque alios non ab initio audiimus. Tantum quæ præcepit dominus, facere oportet. Via regia eundem erit, & seruanda quæ ab initio ab apostolis accepimus. Et quæ sunt illa? in summa, ut maneamus in filio. Manemus autem in filio, firma fide illi adherentes. Et quia filius manet in patre, adherentes filio,

filio. & in patre manemus: atq; communionē illā, cuius loco salutationis meminuit, cōsequimur. Vnde dicit:

Et hæc est repromissio, quā ipse pollicitus est nobis, uitam æternam.

Magna illa nostra promissio, & optata terra promissionis, ac regio uiuentium, est communio cum patre & filio Iesu, imò est ipsa uita æterna. Quis post tantā promissionem nō excitaretur ad nouam uitam? Verum ut magis securus sis, adijcit: Ipse pollicitus est. Christus ueritas est, & in se credentibus tanta promissio sit, ne ambigamus igitur. Oremus Christum, ut & nos omnes tantorum gaudiorum participes faciat, Amen.

## DEMEGORIA X.



**I**n grauibus periculis, non tam facunda, quàm fideli oratione opus fuerit: nec absurdum est (quod alioquin improbaretur) subinde eadem quæ ad rē faciūt, repetere. Sicut in incendio, uel expugnatione, nullus uel Tullium, uel Demosthenē uti necessarium conducet, sed aliquem qui fideliter omnes qualitercunq; adhortatur, etiā tantum clamantem: Ad arma, ferte citò tela: et similia. Neq; enim tunc uanis replenda est curia uerbis, ut inquit gentiliū poeta. Nō tunc uacat disputare, nū̄ utile sit subuenire proximo, num prodere liceat incendium. At qui in periculis maximis sumus omnes nos habitantes super ter-



IN EPIST. IO. I.

ram, & ut Esaias inquit: Terror, fouea, & laqueus super te, qui habitator es terræ. Ruinam minatur pro pedem ciuitas uanitatis. Quid igitur faciendum concionatoribus nobis aliud, quàm ut clamemus: Pœnitentiã agite: Egredimini de Babylone: Prospicite: Caute seductores: Nolite diligere mundum, & quæ in illo sunt: ac similia? Ita Ioannes quoque, tametsi non in persuasorijs humanæ sapiëntiæ uerbis loquatur, fidelissime tamē & uocalissime, quæ maxime necessaria, monet. Proinde nulli sit fastidio eadem hic repeti: sed magis expendatur rei necessitas, & quod talis oratio nostræ debeatur ignauie. Sequitur autem:

Hæc scripsi uobis de his qui uos seducunt, & unctio quã uos accepistis ab eo, manet in uobis. Et non necesse habetis, ut quisquam doceat uos: sed sicut unctio docet uos de omnibus, & uerax est, & nō est mendacium. Et sicut docuit uos, manete in ea.

Non est Ioãnes ex mutis illis canibus, qui lupos uident ac tacent: sed officium agit speculatoris fidelissimi, qui uidet uenientem gladiũ, & indicat. Vidit enim antichristos ac seductores multos pullulare, & pullulatos, qui obscurant corda hominum impietatibus: & gloriam dei negligunt, ut humanã constituent iustitiam. Et clamat, adesse quos cauere oporteat, seductores scilicet

res scilicet lupos, pseudoprophetas, inimicos ueritatis  
 & Christi. A quibus pericula & insidiæ. Varijs autē  
 modis nos hortatur, nunc à nobilitate, nunc à præmi-  
 is, nūc alijs rationibus. A nobilitate primum. Magna  
 enim dignitas est Christianorū, Vnctio. Est enim opti-  
 mi præceptoris loco, & de omnibus docet. Hortatur  
 igitur, ne unctionem perdāt, ne spiritū sanctum extin-  
 guant, ne cōtemnantur fideles illæ uoces intra nos. si-  
 cut Psalter dicit: Hodie si uocem eius audieritis, nolite  
 obdurare corda uestra. Nā si huius chrismatis perie-  
 rit dignitas, comparabimur iumentis, & insipiētibus  
 similes erimus. Huius unctionis symbolū est chrisma, *Chrismatis*  
 quo pueri signari solent: quod planè commaculandum *Symbolum.*  
 minime, sed summa custodia seruandum. Non de cere-  
 monia ungenti dixerim, sed curā nobis esse uelim rei  
 per illam designatæ, ut sit nobis perpetuum desyderi-  
 um, quo ad æternā suspiremus patriam, et clamemus,  
 Abba pater: id quod nō fit absq; spiritu, qui ueram no-  
 bilitatem nostram, nosq; minime degeneres filios de-  
 clarat. Sensus autem uerborum Ioannis dum dicit, ma-  
 net, et postea, maneat, is est: Scio qdem nūc quod in uo-  
 bis, ut germanis dei filijs, manet unctio: reliquū date  
 operam, ut semper maneat. Illa enim indicabit uobis  
 uanitatem mundi, & rem unamquanq; sicut se habet  
 suis depinget coloribus, nec uos decipiet. Non dubito  
 uos doctos à spiritu, sed non debeo tamen intermitte-  
 re meum officium. Plātati estis, rigare tamē debeo &

exhortari: ille autē qui intra uos est det incrementum. Quoniam & uos estis uerē in corpore Christi: manete itaq; in illo, & caueate ne à mendacijs, & ab anti-christi laruis decipiamini.

Et nunc filioli manete in eo.

*Perseuerantia.* Iam audiuius & iterum audiuius uerbū Manete. Videtis quomodo idipsum toties inculcat, nimirum ita exigente necessitate. Nihil enim ita necessariū atq; perseuerantia. Videte, inquit, charissimi ne uos aliorum exēplo excidatis, sed enitami ad ea, quæ à frōte sunt. Quid prodesset exisse ab Aegypto, & in eam regredi? Nōne filij Israël illam desiderantes in deserto mortui sunt? Nōne & uxor Loth respiciēs, in statuā salis demutata est? Ne ergo magna respicientium multitudo terreat uos, manete. Alij cadāt, manete uos. De uestra enim salute agitur, manete & perseuerate. Et quomodo? manete in eo, Christo scilicet, sicut dixerat et de unctiōe. Manete sicut palmes in uite, hoc est per fidē, ut ipse postea operetur p̄ uos fructū charitatis.

Vt quū apparuerit, habeamus fiduciā & nō pudeſiamus ab eo in aduētū eius.

*Iudex Christus.* Vide quomō & alias rationes adhibeat, nepe locū ab aduētū iudicij, de quo et supra dictū: à premio, fiducia scilicet in Christū, et à pœna, ne pudeſiamus. Quæ in die illo omnia apparebūt. Erit enim in die illo Christus agnus māſuetus bonis, leo malis: pater suis, iudex alienis.

alienis. Et sicut rhomphaea ignis uersatilis ante paradisum, iucunda in capulo bonis & fidelibus, terribilis autē in acie incredulis. Habeamus autem fiduciā non in nobis, sed in ipso: quod qui tāta bona hic nobis cōtulit, nec maiora alibi sit denegaturus. Paulus enim dicit: Qui bene ministrarunt, gradum sibi bonum acquirūt, & multam fiduciā in fide, quae est in Christo Iesu. Nā tunc leuabunt capita sua, quoniam afflictio patientiam peperit, patientia probationem, probatio spem, spes non cōfundet. Qui enim crediderit, nō pudebit. Bona fiducia est omnium, qui hic Christū confessi sunt: nam & Christus illos agnoscet. Contrā fiducia destituta erunt uirgines, quarum lampades absq; oleo. Eis enim dicetur, Nescio. At qui nō remittūt debita proximis, qui dilapidant uel defodiunt cōcreditum talentum, & qui non proferunt fructum, non solum confundentur, sed & in ignem projicientur aeternum.

Si scitis, quod iustus est, scitote quod omnis qui facit iustitiā, ex ipso natus est.

Quereret quis: Et qui sunt, qui non confundentur in die iudicij? Filij Christi, qui ex ipso per fidem sunt: illos enim non damnat: nam alioqui seipsum in eis damnaret. Qui autem huic mūdo addicti, ut filij irae, iure cum mundo pereūt. Si igitur fidē & ueram illam scientiam habetis, quod Christus nostra est iustitia, si hoc docet uos unctio, quod Christus innocens, & iustus etiam pro nobis intercedit apud patrem, scitote



quomodo et uos iusti esse debeatis, & satagite ut sitis. Quia enim ipse pater est iustitiæ, filij eritis & ipsi iustitiam faciētes: & tametsi nulla sit nostra iustitia ad illius collata iustitiam, magna tamen est, quia ipse illam in nobis operatur. Ex deo natus est, qui scit quod iustus est Christus: hoc qui scit, is etiam credit in Christū: & qui credit, is etiā per fidem operatur iustitiā, suntq; opera illius iusta & sancta, quæ alioqui damnationem mererentur, siquidē extra fidem facta fierent, licet specie bonam præ se ferrent: & qui non iustificabatur ex se, fide iustificatur. Atq; ita facit iustitiam, quia ex deo natus; nam credimus, sicut & in Euangelio suo dicit: Dedit eis potestatem filios dei fieri his, qui crediderunt in nomine eius: qui nō ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, sed ex deo nati sunt. Prius ex deo nascimur, & deinde iustitiam facimus, & tunc certe ut filij dei, securi ad iudicium uenimus. Magno enim dei beneficio freti, tantam habebimus fiduciā, ut nihil timeamus. Huius rei uere admirabilem magnitudinē commemoraturus, ultra progrediens exclamat:

Cap. 3. **V**idete qualem charitatem dedit nobis pater, ut filij dei nominemur.

Videte, inquit, rem admirabilem, quā indulgens sit nobis deus, quem nunc patrem spiritu urgente appellamus: ita in nos summæ charitatis raritatem effundit, quasi soli illi curæ essemus: nam præter innumerabona, quæ cū malis cōmuniā habemus, ut coelū & terram

ram & oīa quæ in illis sunt, propter hominē sunt con-  
 dita, cōtulit & hoc nobis præ alijs populis, quos in te-  
 nebris reliquit, & peccatis maximis, ut populus pecu-  
 liaris essemus, & uocaremur filij dei. August. legit,  
 dicimur & simus. Parū esset dici, nisi & essemus per  
 gratiā. Dedit autem cū filio omnia bona, & maxime  
 fiduciam in iudicio. At si quis dicat: Quod si filius dei  
 sum, cur ergo tam abiectus sum in hoc seculo? quare tā  
 contemptus apud homines? quanti mercenarij abun-  
 dant in domo patris, ego autem esurio? Non uidentur  
 hæc indulgētis patris signa. Respōdet Euangelista:

Propter hoc mundus non nouit uos,  
 quia non nouit eum.

illum dicitur mundus noscere, quem prosperitate  
 huius seculi fouet. Sed non est mirum, inquit, filios dei,  
 huius mūdi delicijs destitui, quibus antea & Christus  
 caruit. Non est maior seruus domino. Mundus perse-  
 quitus est Christum, ita permittente patre, neq; uos  
 persequi cessabit. Et quid quod nos mūdus insectatur,  
 num propterea nō sumus filij dei? imò ea de causa me-  
 ritò censebimur filij. Quem enim diligit pater, corri-  
 pit. Cæterum fide, non gloria, nunc felicitas est filio-  
 rum dei. Fide enim creditur: & ideo non à præsentibus,  
 sed à futuris colligenda. Et ad illa nos remittit a-  
 postolus dicens:

Charissimi, nūc filij dei sumus, & non

Filij dei  
 contēpti in  
 hoc seculo.

dū apparuit quid futuri sumus. Scimus autem, quoniam si apparuerit, similes ei erimus; quoniā uidebimus eū sicut est.

Vides non confusum iri filios dei, & quanta illis reposita sint? Nihil illis beatius, nihil gloriosius. Ecce qui hic obnoxij infirmitatibus, & mortales, alibi immortales comparebunt. Crucifigamur ergo hic cum Christo, ut cum eodem resurgamus. Erat & Christus hic in ignominia, sed nunc est in gloria. Si hic similes ipsi fuerimus, erimus & alibi similes. Et deū quoq; quem hic per speculum & enigma credendo uidemus, alibi à facie in faciem contemplabimur, beatissime agentes. Utinā lucis illius immensitas nos in se rapiat & transformet, quo in ipsa, torrente uoluptatis impleamur, ipsam cum omnibus sanctis & angelis laudantes in perpetuum, Amen.

## DE MEGORIA XI.



Eri quum appeteret hora, dictum apostoli:

Quoniā si apparuerit, similes ei erimus; quoniā uidebimus eum sicuti est:

Non satis explanauimus: & credo ipsum, ab homine uel uerbis, uel cogitationibus, quandiu hic agimus, tractari ad satietatem nō posse. Est enī ex his que oculis nō uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascerdit.

dit. Promittit autē apostolus nos nō solū simili fiduciā  
accessuros ad deū, sed & similit̄ gloriā accepturos, ui-  
dentes clarē eum, in quem prospicere & angelis gau-  
dium est. Cuius amplissimæ rei desyderio quis non pa-  
tienter aduersa omnia ferret, & huius mundi prospe-  
ritate careret? Si autē diligentius Euangelistæ uerba  
examinauerimus, inuenimus Euangelistam de resur-  
rectione hic uerba facere: dicit enim, Si apparuerit.  
Iterum aduentus domini memoria hic inculcatur: nā  
tunc configurabitur corpus humilitatis nostræ cor-  
pori claritatis eius. Libenter & suauiter de hac glo-  
ria loquuntur apostoli: nec mirum, nam eam degusta-  
rant in monte, quam se Christus in glorificato corpo-  
re spectabile exhiberet, necnon quū in cœlos ascende-  
ret. Verūtamen non erat ibi tanta, in quāta rediturus  
est gloria: quandoquidem maiestatem immodicam il-  
lorū imbecillitas neutiquam ferre ualisset. Ceterum  
quia & tunc dicebat Petrus, Bonum est nos hic esse:  
quid posthac dicemus, ubi apparuerit sicut est, & ui-  
debimus eum in decore suo, sicut dicit Esaias? Stupidi  
sunt profectō & saxeī, prorsusq; nihil habentes fidei,  
qui nō tantæ felicitatis desyderio accenduntur. Quis  
non ouperet frui præsentia amici, qui bona innumera  
cōtulisset, & felices faceret corā se stantes? At quāta  
accepimus à Christo beneficia? Ut cætera taceam, nū-  
quam memoria excidere debet, quod pro nobis igno-  
miniose in cruce pro peccatis nostris mortuus est.



IN EPIT. IO. I.

quanta item in societate eius, & in coelesti Hierusalem  
erit beatitudo? Verè non sunt pares afflictiones præ-  
sentis temporis ad gloriam quæ reuelabitur in nobis.

Iusti mor Sed etiam ante illum diem, magna est animarum in  
tui cū Chri Christo quies ac felicitas. Nam ut de his me am fident  
sto in cœlis non celem, nō dubito quin corporibus exutæ propius  
ei coniugantur, quem quū in corpore agerent, arden-  
tibus desyderijs concupiscebant. Aperta quippe est  
morte Christi cœlorū ianua, remotiq; uectes omnes.  
Duo enim à conspectu dei nos impediunt & abarcēt:  
corpus hoc quod aggrauat, & peccatū. Diaboli, pec-  
cato prohibentur: nos homines, corporis mole. Ecce  
Moses, cui deus dixerat, ostendam tibi omne bonum,  
audit: nō uidebit me homo super terrā et uiuet. Vides  
impedire carnē? Vide autē quod & peccatū excludat.  
Quid eiecit è celo luciferū? Nōne peccatum? Porro  
nullus hic uiuit absq; utroq;. Iusti in regeneratiōe per  
mortē in uitā æternā utroq; liberantur, unde uidebūt  
fontē luminis, torrentē uoluptatū, mare felicitatis: cui  
si omnia iucunda contuleris, stillulam quādam compa-  
rabis. Et nos adhuc fastidimus paruo tēpore crucifi-  
gi cum Christo? Detrectabimus ne aliquid, ubi tanta  
merces? Itā ne dementabunt mentes nostras, fallaces  
& umbratiles istius seculi deliciæ, ut pro tanto gau-  
dio queramus misérias perpetuas? Sed pergendum  
est in enarratione, & discendum quis fructus ex hac si-  
duci, uel, si libet dicere, fide sequatur: ut uel tandē ad  
discant

discant miseri, & cæci hostes fidei, fidem nõ esse ocio-  
sam. Clamat enim Ioannes:

Et omnis qui habet hanc spem in eo,  
purificat se, sicut & ille purus est.

Non dicit, hic uel ille spe hac præditus: sed, omnis.  
Viderint hi qui se Christianos dicunt, quid uel quantum  
credunt, dum mandata dei præuaricantur, seq; nouis  
quotidie criminibus coinquant. Non est enim hoc  
spem uel fidem habere. Bene inquit apostolus: Acce-  
dentem ad deum oportet credere, quod sit, & quod re-  
munerator sit. Deum esse, fateri cogitur diabolus: sed  
remuneratorem suum non dicit, quia nulla ei spes salu-  
tis. Porro tanta spei uis est ac energia, ut ad ardua sua *Fidelis imē*  
uitate incredibili credentes rapiat. Credēs enim & spe *tatur Chri*  
rans, ad imitationē Christi, purificationemq; sui eniti *stum.*  
tur, ut ambulet sicut ille ambulauit. Nec mirū, si quem  
in pectore gerit, illum & uita exprimat. Profectò si  
regnum coelorum intra nos est; fieri non potest, quin  
meditemur & cœlestem uitam. Que res non ignauos,  
sed strenuos docet esse fideles, quādo quidem fides per  
dilectionem operatur. Et sicut hic dicit, spem habētes  
se purificare: ita in Actis habemus, fide purificari cor *Fides pur-*  
da. Et quomodo purificat? mentē purificat à tenebris, *ficat.*  
ut nosmetipsos uideamus nihili esse, & mendacium,  
Christum autem deum, ueritatē: nos tenebrosos, Chri-  
stum autem lucem. Purificat autem & animam à no-

IN EPIST. IO. I.

xijs & immundis cupiditatibus ac desyderijs, ab ambitione, ab ira, ab inuidia & odio, à stulto timore, ab inepta lætitia: & facit ut sobrie, iuste, ac pie uiuamus, expectantes illã spem & apparitionem gloriæ magni dei. Iam nemo se existimet phariseorum traditionibus purificari, & externa tantum iustitia, si in speciem bonus sit, & manum non animum à crimine subducit.

Peccata minima non contēnēda. apostolus, peccata etiã quæ minima uidentur, non contēnenda, & dicit:

Omnis qui facit peccatum, facit iniquitatem, & peccatum iniquitas est.

Facit peccatum, qui nō se purificat per fidem, neque quotidiano studio melior euadit: & talis iniquus est, ac fide caret. Dicere enim uult: Ne te credas purificari, si id quod foris apparet, cum hypocritis mūdēs, uel fatearis te in Adamo peccatorem, contēnas autē penitius te scrutari, & negligas affectuū tuorum latentium moderationem. Quantumuis enim parum aberraris à iustitia, quam habere deberes, scias etiã illam aberrationem & peccatum esse iniquitatem, hoc est transgressionem legis, teque sic non mundari, & omnia enim, quæ iniquitas uertitur, legis transgressio est. Et lex, non parua quedam, ut cymini & anethi decimationem, externam inquam iustitiam, sed totum hominem cum omnibus uiribus deo uindicat. Quid ad hæc dicēt

Lex quantā exigit.

Sophistæ, uiri illusores, præcepta de amâdis inimicis-  
 iuandis proximis, pace, obedientia, paupertate, mansuetudine, in consilia uertentes? Excutiant secretiora penetralia, & purgare se incipiant, & inuenient uim legis, & quàm impares illi sint humanæ uires: fatentur; cogentur nobiscum, nos omnes peccatores esse, & nullum opus à nobis fieri, quod non purius & dignius debeat fieri: & cum aberretur, uel in aliquo à iustitiæ scopo, iam peccatum esse, iam transgressionem legis esse & iniquitatem. Habet igitur fides perpetuò etiam *Pœnitentiæ*  
 hoc opus, ut lugere, certare, purgare, carnem rebellem *opus fidei.*  
 in seruitutem redigere nos faciat. Cæterum sicut lugere nos facit, ita & exhilarat ac cõsolatur, eo quod propter Christum nihil condemnationis erit his, qui per fidem inserti sunt Christo, & non ambulant secundum carnem, sed spiritu carnem crucifigunt, tametsi nondum totum aboleant repugnante semper carne legimentis: & ita quoad uiuimus, perpetui transgressores legis sumus: nec tamen desperare debemus, quia ut subdit:

Et scitis quod ille apparuit, ut tolleret peccata nostra: & peccatũ in eo non est.

Quid clarius dici posset, quàm iustitiæ Christi, & nõ nostris operibus tolli peccata nostra? Dicere enim uult: Quamuis nemo se ita purificat, ut non possit argui legis transgressor, despõdere tamen animum non



debemus. Est enim nobis satisfactio in Christo propitiatioq; modis omnibus plusquam sufficiens. Ille non habebat propria peccata, per ipsum igitur nos mundati: & quia solus innocens, & immaculatus, idcirco dignus ipse sacerdos qui nostra delicta expiaret. Iam si porci hic tumultuentur: Bene, itaq; omnium peccata deleta, omnes ergo salui erimus? Edamus, bibamus, libidinemur. Audiāt quorū peccata aboleuerit Christus, planè non omnium, sed eorum qui in ipsum credunt, & per fidem ei incorporantur ac adherent: & quum fidem illi nondum gustarint, quid opus his oblationibus? Fide enim in Christo constabit purificatio: unde propter illos, & modus ille purificandi dicitur. Credant & ipsi, pro peccatis suis, quantacunq; sunt, satisfactum esse: & si crediderint, nouam planè uitam instituent.

Omnis qui in eo manet, non peccat.  
Omnis qui peccat, nō uidit eum, nec cognouit eum.

Non peccare, id est expugnare peccatum. Scitis quid sit in eo manere, nempe in ipsum credere. Hoc qui faciunt, non peccant: id est, nō student peccatis, sed student ut expugnent peccatum, ac se purificent, spirituq; facta carnis mortificent, & conantur omnibus modis imitari Christum: ut sicut in Christo peccatum non fuit, ita & ipsi sint innocentes, & à peccatis alieni. Contrà quisquis peccat, hoc est quisquis nō se

non se quotidiano studio purificat, neq; peccatū odit, neq; cōtra carnē pugnat, is neq; uidit, neq; nouit Chrīstū: hoc est, frustra de fide gloriatur. Hoc præsignauit Moses, quū contra Amalechitas præliarentur Isrāēlitæ. Illo enim extendente manus, uincebat Isrāel: remittente autem, uincebatur. Quandiu enim crucifixi formam manibus & operibus exprimimus, fidem in crucifixū seruamus, & feliciter præliamur: sin manus cruciformes remiserimus, cedimus hosti: & si cesserimus, indicium est fidē deesse. Regia itaq; uia progrediendū, ne scilicet declinemus uel ad dextrā, pugnatēsq; fide careamus: uel ad sinistrā, & decepti opinionione falsa, quasi habeamus uictoriam totā, pugnare cōtra carnē desinamus. Et ita Ioānes quoq; admonet.

Filioli, nemo uos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est. Qui facit peccatū, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. Ad hoc apparuit filius dei, ut dissoluat opera diaboli. Omnis q̄ natus est ex deo, peccatū nō facit: quoniam semē ipsius in eo manet, & non potest peccare, quod ex deo natus est. In hoc manifesti sūt filij dei, & filij diaboli.

Vides hic quos seductores uocet. Habes ad dexteram & sinistram qui te abstrahant à uia regia: sed crede mihi, imò res ipsa docet, hostiliores qui à fide auel-

lunt, quàm qui ab operibus. A bonis operibus debor-  
 tari, nemo ignorat esse impiũ, modò sciat quæ sint ue-  
 rè bona opera: at non omnes uident quantum malum  
 sit obscurari bonum fidei. Porrò ut liquidius inno-  
 scant ea, quæ superius dicta, fidem scilicet operibus nõ  
 carere, & pugnare fideles aduersus carnem, animad-  
 uerti uult quid imitetur quiq; Si in nobis habitat Chri-  
 stus per fidem, faciet ut se imitemur, & eius filij com-  
 probemur. Sicut & in Euangelio Christus dicit: Si fi-  
 lij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Sin diaboli ope-  
 ra fecerimus, eius dicemur filij. Qui facit iustitiam, in-  
 quit, ita pugnando contra peccatum, & credendo in  
 Christum, iustus comprobabitur sicut ille, quem imita-  
 tur. Pugnauit enim & Christus contra diabolum, &  
 in hoc uenit, ut destrueret regnum diaboli, & opera  
 tenebrarũ redargueret. Et in hoc imitamur Christũ,  
 amplexãtes ueritatem, & expugnantes mendacium,  
 colentes charitatem, & relinquentes odium: fitq; hac  
 imitatione, ut comprobemur filij dei, sicut per fidem  
 sumus: & non facimus peccatum, hoc est, non omitti-  
 mus quin pugnemus contra peccatum: idq; propter  
 semen, id est uerbum dei, quod habemus in nobis: &  
 quum dei spiritu agamur, facta carnis mortificamus.  
 Quo spiritu quãdiu quis agitur, quomodo potest pec-  
 care, & carnem non compefcere? Nihil igitur minus  
 expectandum à fidelibus qui sunt filij dei, quàm quod  
 mendacia & hæreses doceant, uel seditiones & odia  
 seminent.

*seminent. Toti enim in hoc sunt, ut ueritas dei in toto orbe luceat, & uno spiritu omnes deum laudantes mutua inter nos fraternitate, tanquam alter alterius membra cohæreamus. Cæterum mentiri, decipere, inuidere, rixari, mutuum mordere, uera diaboli opera sunt, ad quæ diabolus instigat, & per ea filij eius dignoscuntur. Diabolus ab initio peccat, ab initio sua sponte profilijt ad peccandum. Confidens in semetipso, humiliare se noluit, sed occupare quæsiuit sedem dei: & nunc cælo pulsus, tanto dei odio flagrat, ut omnes creaturas simul miseras facere quærat, hominūq; quem deus admirabiliorem cæteris creaturis fecerat, inq; cæli ciuem adoptarat, suam felicitatem ad eò inuidit, ut non cessaret ab insidijs, donec iræ filium faceret, & ita suos filios, & peccati seruos tenebris immersos, & charitate destitutos. Atque ita satis manifestū discrimē inter filios dei & diaboli, & eorū qui fidiutiā, uel confusionem in aduentu domini habebunt. Nos si Christo uolumus alibi similes effici, in hac uita ne dissimiles simus, Amen.*

## DEMEGORIA XII.



*N*ter filios dei, & filios diaboli quomodo internoscere debeamus, heri dictum est: nempe, si imitati fuerimus Christum, dissoluēdo opera tenebrarum, amantes ueritatem & seruau-



tes charitatem, ex deo sumus: si fauerimus mendacio  
 & odio fratres prosequuti fuerimus, ex diabolo esse di-  
 cimus, cuius opera facimus. In hoc enim, inquit, mani-  
 festi sunt filij dei, & filij diaboli. Dicitur, autem mani-  
 sti sunt, & nō simpliciter, sunt. Fide enim iustificamur,  
 & filij dei efficimur: at charitati non tribuitur iustifi-  
 catio. Profluunt enim ex fide charitas, iustitiæq; ope-  
 ratio, & fidei sunt indicia. Quamuis autē charitas ma-  
 gnasit, non tamen iustificat: quia nemo diligit quātum  
 debet. Neq; ita intellexeris hoc Petri, Charitas operit  
 multitudinē peccatorū: quod in alium sensum exponi  
 debet. Vult enim, facilem ad cōdonandū, nec temere ir-  
 ritabilē eum qui diligit. Vnde ex uerbo, manifesti sunt,  
 patet quod charitas & iustitiæ operatio indicia sunt  
 fidei. Proinde conclusionem subijcit superioribus.

Charitas  
 non iustifi-  
 cat.

Omnis qui non facit iustitiam, nō est  
 ex deo, & qui non diligit fratrem suum.

Non te fallat regula discernendi, quam dedimus,  
 Quotquot ex deo sunt, faciunt iustitiam, crucifigentes  
 carnem suam cum uitijs: idq; perpetuo studio agunt,  
 ut carnem subijciant spiritui, & spectent qua in re pro-  
 ximo ualeant propter Christum esse utiles. Quod qui  
 negligunt, comprobantur esse falsi Christiani, absque  
 fide, & nequaquam filij dei. Esto, falli possis à quopi-  
 am qui fide baptizatur, & particeps mysteriorum  
 est, non tamen fallēris, si lotus in hoc est ut innouet ui-

tam, & exerceat charitatem. Neque nouus est ille cā-  
non discernendi filios dei à filijs diaboli: sed à condito  
seculo, usq; ad consummationem eius semper certissi-  
mus fuit, atq; id uetusto exemplo probabimus.

Quoniam hæc est annunciatio, quam  
audiſtis ab initio, ut diligatis uos inuicē.  
Non sicut Cain ex illo malo erat, & occi-  
dit fratrem suum. Et propter quid occi-  
dit eum? quia opera eius mala erant, fra-  
tris autem eius iusta.

Hæc non est noua doctrina Christianorū, sed quam  
olim audiſtis Christo dicēte: In hoc cognoscent omnes  
quod mei sitis discipuli, si charitatem habueritis in-  
ter uos mutuam. Et quia charitas epitome legis est ac  
prophetarum, etiam ab initio deus illam à nobis requi-  
siuit: atq; hanc legem ab initio seruauerūt boni, præuari-  
cati sunt mali: sicut in Cain & Abel habemus exēpla.  
Quos hac de causa statim in principio Genescos cap.  
4. introduxit scriptura, ut sciretur fides Abel, perfi-  
dia que ac odium Cain: alio qui potuissent cum multis  
alijs filijs & filiabus Adæ, quandoquidem ad genealo-  
giam Noë non perducebant, omitti. Certum enim eti-  
am tunc alios filios fuisse Adæ, quamuis hi duo soli nu-  
merentur. Et uide utriusq; initiū, progressum & finē,  
& graphice filios dei ac diaboli depictos uidebis. De  
Cain hic dicit, q̄ fuerit ex diabolo, Et quomodo Eua

Cain quo- esse prolem suam? Responde: Non hic Ioānes nostram  
modo ex naturam dicit esse à diabolo: neque propter originale  
diabolo. peccatum, Cain dicit fuisse à diabolo. Ita enim & de

Fides Cain  
& Abel.

Abel ac de omnibus dicere potuisset. Omnes enim sumus filij iræ. Cain dictus est à diabolo esse, sed ob infidelitatem. Fide enim Abel filius dei, & fide succensus obtulit, & ut est ad Hebræos undecimo, uberiorē hostiam obtulit deo quàm Cain. Vnde perspicuum, de fuisse fidem Cain. Iam eo loco perspicuum, nō de historica fide mentionem fieri, sed ea, quam spiritus sanctus fidelium cordibus infundit. Uterq; deum esse fatebatur, at non æqualiter uterque deo fidebat. Erat uera fides in Abel, sicata autē & pharisaica in Cain: & propterea fides Abel proferebat fructus dulces, fides autem Cain labruscam amarissimam. Sed quia uidisti initium utriusq; uide nūc & progressum. Afferebat igitur contemptiora, munera uidelicet, & non se ipsum in obsequium dei, ut gratū haberet quicquid de se arbitraretur deus, paratusq; esset deo in omnibus creaturis seruire. Munera offerebat, se subtrahebat deo. Offerebat deo, & spem in se ponebat: præferebat se fratri, et præferri illū à deo, suaq; dona reijci grauatim ferebat. Vnde bene uerterunt septuaginta, *ὄυκ ἔα μὲν ὀφθῶς προσεβύκης, ὀφθῶς δὲ μὴ δὲ ἰλάης, ἡμαρτες*. Id est, nōne si recte offeras, non autem recte diuidas, peccasti? Non faciebat igitur iustitiam Cain, quia deerat ei ra-  
dix

dixi iustitiæ fides. Neq; enim iustitiam facit, nisi is qui ex fide opus iustum facit, & iustitiæ studet. Quapropter & aperte à domino arguitur, qd' appetitus eius sub ipso esse debeat, & operã dare, ut crucificigat carnem, odium scilicet. Et hæc erant mala opera, quæ in corde suo uersabat, propter quæ & uultus eius concidebat. Neq; enim fide prouocabatur ad amãdum deũ, neque amare poterat fratrem, qui deum non amabat: sed in illum se uicebat, quum non posset in deum. At alij fructus erant Abel: se enim totum deo offerebat, quia fide offerebat, & propter deum non repugnabat cum fratre egredi in campum, persecutionemq; ac mortem patienter ferebat etiam ante passum Christũ: tantum aberat, ut malum pro malo rependeret. Denique qualis & utriusq; finis: horredus planè finis erat Cain, iucundus autè Abelis. Quid enim desperatione peius? Et planè desperabat Cain, dicẽs: Maius peccatum meum, quàm ut dimittar ego. factusq; est uagus, ac tremens super terrã. Id quod peccatoribus omnibus contigit. Horrent enim & confunduntur grauiter ab aduentu domini: contra magna fiducia iustorũ est, qui & mortui magis terribiles sunt iniustis. Clamabat enim sanguis Abel de terra ad deum, & quiescebat ille expectans sequituram fidelium posteritatem. Elegans sanè historia & plena doctrinæ, sed tempus nunc non patitur amplius de ea loqui. Simile exemplũ profert, & adaptat nostris quoque temporibus, & Paulus ad

Fructus  
Abel.



Galatas cap. 4. de Ismaële & Isaac dicens: Quemadmodum tunc is, qui secundum carnem natus erat, persequabatur eum qui natus erat secundum spiritum: sic & nunc. Ita mali imitantur Ismaëlem & Cain persequendo bonos. Cain colit terram, & terrena querit. Abel peregrinus est in terra, & municipatum, thesaurumq; possidet in cœlo. Iam si quis indignum existimaret, ac admiraretur, quomodo Abel & iusti filij dei sunt, si non agnoscuntur à mundo, & à uilissimis, & nequissimis acerbissima indignissimaq; ferunt: respondet, & subdit Euangelista:

Ne miremini fratres mei, si uos odit mundus. Nos scimus, quod translati sumus de morte ad uitam, quia diligimus fratres.

Quid miraris? inquit: quid cōquereris? quid deploras? Supputas ne parua illa incōmoda, & gaudia æterna non cogitas? Quid clementius patre illo, qui permittit scindi uilem uestem, ut postea reddat illam integram, & auream, ac incorruptibilem in uitam æternam? Ecce hæc nostra spes est. Quisquis enim diligit fratres, iam non cum mortuis & mortalibus numeratur: sed translatus est de morte ad uitam. Fides enim uiuificat illum. Cæterum uis scire qui sint deplorandi, & qui miseri?

Qui non diligit fratrem, manet in morte.

te. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quod omnis homicida non habet uitam in se manentem.

Cur non deploras impium illum *ἄσοφρον*, amorisq; fraterni expertem? Ille enim non solum in morte est, sed & manet. Vide quantum in uerbis pondus. Si non diligit & nō bene uult, iam mortuus est, & manet in morte: caret enim fide, quæ hæc operetur charitatem, qua fide iustus uiuit. Quod si ad hæc rancore et odio in fratrem fertur, & male affectus est, homicidij reus erit, ac alter Cain: & quia eandem, quam Cain carnē gerit, si permetteret deus, nō minus grassaretur quàm ille. Quid hic dicent, qui ex præceptis consilia faciunt? Non uideo quid prætexere queant, qui satis esse credant, si non oderint. Ut confidenter adire tribunal iudicis ausis, & uiuas, necesse erit ut ames. Hic manifeste docet, quomodo lex quæ dicit, Ne occidas. spiritaliter intelligenda sit, sicut dominus Matth. 5. interpretatus est. Diabolica igitur doctrina, dicere bella apud Christianos iusta: quandoquidē Christiani quoduis odium ut homicidium execrantur. Aut da bellum, quod charitate geratur. Milites igitur sanguine gaudentes, ueri Cain sunt. Dici potest omnibus inuidis, Manus uestre plenæ sanguine, filij Cain estis: quid dicetur ergo his quorum ars & uita tota in effundendo sanguine? Et quod de effusione sanguinis dicimus, id

de dolis quoq; pronunciare liceret. Hei quàm multos filios reliquit Cain. Vt nulla fides in mundo, ita nullus amor: huius rei facillè periculū feceris. Multi nos salutant ut fratres in Christo, dilectosq; uocant filios: at tu desine illis seruire, uel adulari, & uidebis ubinam sint amici tui. Præterea tantā oportet esse charitatē, ut nō solū nō occidamus manu, neq; odio habeamus, sed diligamus, et plus quàm nosipsos, adeò abesse detet dolū. Christus eò te urgeat, ut cor tuū iam non sit tuū, sed fratris: ut quacumq; occasione illū in Christo iuuare possis, non omittas. Propter hoc enim dicit:

Per hoc cognouimus charitatē, quoniam ille animā suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui uero habuerit substantiā mundi, & uiderit fratrem egentem, & clausērit uiscera sua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo?

Papæ, quāta præcipiūtur, & quāta nostra ignauiā? Iubemur animas ponere pro fratribus, inimicos pro fratribus ducere: at nos etiam eos qui nos nunquam agnouerunt, qui innocentes, qui bene de nobis meruerunt, affligimus & occidimus? Et quū fieri potest, ut iustificemus bella? Et quū animas ponere debemus, quātomagis temporalia, si quis egeat, communitate tenemur? alioqui ne mica quidē charitatis in nobis est.

bis est. Vide hic in quàm damnoſo ſtatu ſunt uſurarij, inhospitales, immiſericordes, auari omnes. Eſt inuenire non paucos liberales, dum luxu profundunt multa, & indignis male parta distribuunt. At te deus diſpenſatorem, non dominum fecit pecuniarum: illis tribue, quibus dominus iubet. Occlamant nobis, dum dicimus moriendum pro fratribus: Et quis unquam tale quippiam egit? An non ſufficit exemplum Chriſti, qui hoc pro te peccatore facere non dedignatus eſt? Et adhuc dicis te audire uelle, qui Chriſtum ſunt in hoc imitati? Mirum, tot martyrum millia habemus, & exempla querimus? Sed afferam ex lege exemplum. Moſen lapidare uolebant Iudæi, & ipſe orabat, ſi omnino decretum uellet deus extingui Iſraëlitas, ſe cum illis ex uiuentium albo expungeret. Habe & admirabilius quiddam. Sæuiebant in Paulum Iudæi, & pro illis orabat anathema fieri. Hoc oportebat & Cain & nos facere, non egreſſerre, ſi frater melius quàm nos haberet: ſed ſi offendat, ex toto corde pro eo deum precari, ſi egeat ſubſidijs eum adiuuare: & ſi poſcat res, ut illum lucrifaciamus, etiam pro eo mori. Hoc ſanè indubitatum iudicium charitatis ac fidei in nobis erit, ut tanquam filij dei, cum fiducia quum apparuerit in maiestate dominum accedamus, ſcientes nos æternis cum illo gaudijs exhilarandos, Amen.





Nimaduertere licet non parua apostoli nostri diligetiam. Nam in omnibus nos certos uult reddere. Docuit num uere filij dei simus, num uere credamus, num uere mandata impleamus: & nunc, num uere amemus, & num bono spiritu feramur explorat. Probandus est enim & index, quo probatur aurum, ne falsus sit. Ex fide probamus num filij dei simus. Ex mandatorum impletione, & charitate fidem num adulterina sit, an germana, discimus. Charitatem quoque, & conscientiam quales sint, suis indicibus exquirimus. Igitur quod ad charitatem spectat, dicit:

Filioli mei, ne diligamus uerbo, neque lingua, sed opere & ueritate. Per hoc cognoscimus, quod ex ueritate sumus.

Non prohibet hic affabilitatis uirtute, sed ne tantum lingua diligamus. Hostes enim rectius quam amicos dixerimus, qui salutando officiosi, patrocinandi tempore nusquam comparent: promissis liberales, donis parci: mel in lingua, uenenum in corde gestant: similes Iscarioti et Ioab. Instituenda lingua est, ne alia nunciet quam dicet animus, ut prudenter simul ac uere loquatur. Pythagoricum preceptum, quod a quibusdam seruatur, satis a diuo Ambrosio irridetur. Similiter enim

enim peccant & qui loquuntur ubi tacendum, & qui  
 tacent ubi loquendum. Ceterum sicut non est mentien-  
 dum lingua, ita neq; operibus. Vera sunt opera, si ani-  
 mo respondent: uerus est amor cordis, si operetur ubi  
 postularit fratris utilitas. Vana & inutilia sunt opera  
 si animus & ueritas desint, ut testatur Paulus I. Cor.  
 13. dicens: Et si insunam in alimoniam omnes facultates  
 meas, & si tradam corpus meum, ut comburam, cha-  
 ritate[m] autem non habeam, nihil utilitatis capio. Qui  
 bus uerbis & insipientium & perfectorum opera con-  
 iunxit. Incipientes, & paruuli ac nouicij de facultati-  
 bus fratres iuuando, charitate[m] declarant: quam perfe-  
 cti ita prouexere, ut & uitam pro illis ponant. Que duo  
 exempla & Euangelista posuit. Neutiquam enim stu-  
 pida est charitas: sed sicut ignis accendit apposita fo-  
 menta, ita & charitas nihil non facit occasionem na-  
 ta. Porro si neq; sermonis, neq; operis datur occasio,  
 num sufficiet animus? Etiam: caue aut ne tibi ipsi impo-  
 nas, stulte persuadens in te esse, quod non est: sed proba  
 charitatem que intra te, conscientiamq; adhibe testem,  
 sicut & Paulus docet I. ad Tim. I. Finis precepti est  
 charitas ex puro corde, & conscientia bona, & fide  
 non simulata. Cui hoc loco subscribit Ioanes & dicit:

Per hoc cognoscimus, quod ex ueri-  
 tate sumus, & in conspectu eius suadebi-  
 mus cordibus nostris.

Charitas  
 incipientium  
 et perfectorum.

Et uide quàm caute loquatur. Non dicit, per hoc sumus ueri et iustificati, uel filij dei, sed per hoc cognoscimus. Neq; enim charitas, neq; bona cōscientia iustificat. Vnde iterum Paulus dicit: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc iustificatus non sum. Tantum ostendit conscientia non esse eumentitam charitatem, & ita fidem quoq; ueram, & consequenter neq; de gratia dubitandum. Et planè magnū conscientie testimoniū, & loco mille testium, ut in prouerbijis est. Est enim conscientia (ut dicunt) oculus non dormitans, iudex incorruptus, et θεοῦ οὐκ ἔπαυσιν ὁρωμένοις θεός. Hinc etiam Paulus inquit: Gloriatio nostra, hoc est testimonium conscientie nostræ, illa suadet cordibus nostris uerissime, non coram hominibus, sed corā deo, qui falli nequit. Et quem, inquis, nō reprehēdit cor suum? quis gloriabitur mundū cor se habere? cui satisfacit conscientia sua? Respōdeo, nō hic agi de præteritis peccatis, quorum & Paulus conscius erat, sed de præsentī, & in quo nunc agis uitæ statu: nempe testis tibi esse debet te ex animo odisse peccatum, & diligere proximum. Neq; ignorare potes an diligas. Quæ mater ignorat se diligere filios? & quæ nouerca ignorat odium suū? nulla utiq;. Quamuis hoc adiecerim, ignorari à nobis quatenus & quantū diligamus, uel odio habeamus, do nec in tētationibus probemur. Tūc enim apparet. Sæpe plus amicorū nomine facimus, dolemus, gaudemus, quàm ipsi facturos nos credideramus: sæpe etiā minus præstamus:

præstamus: atq; tunc charitatis magnitudinē probant opera. Probemus igitur nos ipsos, scientes deum in speculatore esse cordium nostrorū, enitamurq; ut purgatissima sit conscientia. Hic enim liber aperietur in iudicio, ubi antiquus dierum in iudicio sederit, & pro conscientie puritate sententiam iudex pronūciabit. Tūc uē his quibus cauteriata & coinquinata mens est: contra gloria & fiducia his, qui non sibi male sunt conscij: & hoc testatur Paulus: Opus suum probet unusquisq; & tunc in semetipso tantum gloriam habebit, & non in alio. Neq; Ioannes hoc obtulit subdens:

Quoniam si condemnet nos cor nostrum, maior est deus corde nostro, & nouit omnia. Charissimi, si cor nostrum non condēmet nos, fidutiā habemus erga deum, & quicquid petierimus, accipimus ab eo.

Si fuerit, inquit, conscientia nostra cauteriata & coinquinata, sectans scilicet sua, & non quæ Iesu Christi, ecce habebit deum iudicem, qui maior est, & cogitationum dominus: & non dominus tantum, sed & discretor. Oculis enim eius nuda & aperta sunt omnia, ita ut falli nequeat, atq; non tam nobis quàm ipsi notissimus. Quod sciēs Petrus dicebat: Domine tu scis. Sin bene conscij fuerimus, securos ad tribunal, quod alijs est terribile, accedere licet, Et nō solum in futuro, sed



IN EPIST. IO. I.

Conscien-  
tia bona.

etiam in presenti seculo multa cōmoda sunt bene con-  
scijs. In pace enim uiuunt, & quasi in perpetuo conui-  
uio leti agunt, ac fidenter habitant, ut ita dicam, sub  
uite sua, cœlestisq; uitæ dulcedinem degustāt. Sicut &  
conscientia praua, non est alia grauior erinnys. Nec  
aberrat qui male conscios, quos rodit uermis, & pace  
carent, infernum hic auspiciari dicat. Quis igitur ille  
stupor noster? quæ illa incredulitas, inter tot præmia  
& tormenta non attendere ad iudicem, qui ubiq; est,  
& omnia uidet, & nihil inexamatum relinquit? In-  
telligite (ait David) insipiētes in populo, et stulti sapi-  
te. Qui plantauit aurem, nō audiet? qui finxit oculum,  
non consyderat? Qui corripit gentes, non arguet? Iam  
& aliud sanæ conscientie bonū affert apostolus, nem-  
pe, quod omnium bonorum fiamus compotes, & im-  
petremus quicquid petierimus. Hanc promissionē &  
in alijs locis habemus. David inquit: Ora dominū, &  
ipse dabit tibi. Luc. 11. Petite & dabitur uobis, quæri-  
te & inuenietis, pulsate & aperietur uobis. Omnis  
enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pul-  
santi aperietur. Quis ex uobis pater, à quo si filius pe-  
tierit panē, num lapidē dabit illi? aut si pisce, nū pro  
piscē serpētē dabit illi? aut si petierit ouē, num porri-  
get illi scorpiū? Si ergo uos, quū sitis mali, nostis bona  
dare filijs uestris: quantomagis pater uester cœlestis  
dabit spiritū sanctū poscētibus se? Item & Iacobus in-  
quit: Si cui uestrū deest sapiētia, postulet ab eo q̄ dat,  
nempe

Oratio.

nempe deo, qui dat omnibus simpliciter, nec imprope-  
rat, ac dabitur ei, sed postulet cum fiducia, nihil hæsi-  
tans. Iam fidutiam parit bona conscientia. Obserua au-  
tem & uerba apostoli, à deo, & nõ ab alio petere iu-  
bet. Neq; est quod indignitatem tuã prætexas. Iussit  
deus ut ipsum oraremus, quo nobis foret commenda-  
tior, & maiori fidutia ueniremus ad deum. Nusquam  
iussit ad sanctos ire ut patrocinentur. Promittit quoq;  
nos omnia, non hoc uel illud tantum, obtēturos. At tu  
uides ut iusta postules, atque toto corde, salutem ui-  
delicet, & ea quæ à deo sunt præscripta. Quod si in  
tempus sibi beneplacitum distulerit, uel meliora dede-  
rit, ne putes negatũ quod petis. Accipit enim, inquit.  
Tam certo exauditus es, ac si in manibus haberes,  
quod petis. Et nõ dicit, accipiet, ne cūctari suspicemur  
deum, minusq; nobis beneuolum. Denique quomodo  
& cōsciētiam probabo, ne me ipsum seducã? Neq; hoc  
silentio præterit apostolus, subiungit enim:

Deus se ius-  
bet orari,  
nõ sanctos.

Quoniam præcepta eius custodimus,  
& ea quæ sunt placita corã eo, facimus.

Conscien-  
tiæ proba-  
tio.

Signanter dicit, præcepta eius: non ut faciamus ea  
quæ in oculis nostris recta uidentur, sed quæ illi pla-  
cent. Si igitur aliquod uitæ institutũ delegeris, de quo  
deus nihil præcepit, nihil inde fidutiæ habebis, nisi ua-  
ne & perniciose. Illa placita deo scimus, quæ iuxta  
uerbum eius suscipiuntur: quæcunq; uerbo eius repu-

IN EPIST. IO. I.

gnant, planè impia sunt. Vide igitur, an queras quæ tua sunt. Valde intestinum malū est φιλαυτία. Sæpe honorē dei præteximus, non ut quod deo placet faciamus, qui contrariū præcepit, sed ut uoluntatē nostrā impleamus. Abnega igitur te ipsum, & sequere deum. Nihil etiam faciunt ad conscientiam, uel pacādam uel obstringendam hominum decreta. Neq; hominibus illa potestas data est. Animarum dominus solus deus est. Non sunt ministri dei, qui aliud quàm à domino accipere tradūt. Et dixit Paulus ad Col. 2. Si mortui estis cum Christo, ab elementis huius mundi, quid quasi uiuentes in mundo, decretis tenemini? Voluntas dei est, ut suum mandatum impleamus. Et ne obijcias sinuosam legem supra sexcenta continere præcepta, cōplectitur apostolus breui fasciculo totius legis summam, & dicit:

Et hoc est præceptum eius, ut credamus nomini filij eius Iesu Christi, & diligamus nos mutuò, sicut dedit præceptū.

Ecce uerbum abbreviatū, quod inundat iustitiam, unum præceptum est. Ita enim deus uult nos credere nomini filij eius, ut propter illum diligamus nos inuitē mutuò: id quod eius præceptū est. Igitur eius amore qui pro me mortuus est, cupere mori, & mori, si res postulet, debeo: & nunc, sicut Christus mihi uixit, debeo & ipse uiuere proximo. Et ita unicam meam curam esse

ram esse decet, ut nihil pro me cupiam, sed ut placeam  
 & ministrem domino, ut ipse uult. Et quenam uolun-  
 tat eius? Ioan. 6. Hæc est uoluntas eius qui misit me, ut  
 omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam  
 eternã. Et iterũ: Hoc est opus dei, ut credatis in eum  
 quem misit ille. Si autem uidere uis quomodo ex fide  
 & charitas sequatur, audi Petrum apostolum: Submi-  
 nistrate in fide uestra uirtutem (ut sanctificetis uos, si-  
 cut ille, domãdo carnem) in uirtute scientiam (hoc est  
 iudicium & discretionem) in scientia temperantiam  
 (ne indulgentia sit pro temperantia) in temperantia  
 patientiam (nõ enim crux abcrit) in patientia pieta-  
 tem (ut gratias agamus afflictũ, alieni ab obmurmura-  
 tione) in pietate fraternam charitatem (ut propterea  
 non desistamus benefacere fratribus) in charitate dile-  
 ctionem, quæ à puro pectore proficiscatur. Vides gra-  
 dum uirtutum, & arborẽ fidei cum fructibus, totũq;  
 dei præceptum, cuius tam ampla merces est commu-  
 nio illa, quam in principio nobis promisit, ut manea-  
 mus in deo, & ipse in nobis & communio illa, præce-  
 pti impletio est: quod Ioannes his uerbis dicit:

Et qui seruat præcepta eius, in illo ma-  
 net & ipse in eo. Et per hoc scimus, quod  
 manet in nobis, è spiritu quem dedit.

Recte impletur præceptum, dum manemus in deo  
 per fidem, & ipsa operatur per charitatem. Atq; hoc



IN EPIST. IO. I.

certum iudiciū spiritus nobis dati. Charitas enim, ut apostolus ait, diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui assit nobis semper, Amen.

DE MEGORIA XIII.



Non satis est doctori suis calcar adde-  
re, ut alacres currant, nisi & admo-  
neat, ne alacritate multa incidant in  
pericula & insidias, sed ut tutò cur-  
rant. Et quia Ioānes noster multa de  
fidutia dixerat, et parit fidutia nō minus incogitantia  
& precipitationem, quam alacritatem, nisi timorem  
& prudentiam comites habeat. Est enim uidere mul-  
tos labi etiam in planis locis, & ubi minimum pericu-  
li, nimirū scilicet suis uiribus fidētes, qui in præruptis  
& lubricis locis inoffensis pedibus currunt. Id quod  
& in uia legis domini accidit, in qua ambulantes secū  
ros reddit & alacres domini præsentia. Verū nisi spes  
illa timore sancto, sollicitudineq; uigili cōseruetur, res  
quotidie sūt deteriores. Spiritus enim qui pijs datur,  
si somniculosi & frigidi fuerint, iterum potest auferri.  
Vnde Dauid illū sibi restitui petit, dicēs: Redde mihi  
letitiā salutaris tui, & spiritu principali cōfirma me.  
Que non orasset, si non periclitaretur desides. Ne igi-  
tur ex his que heri dixi, quod manet in nobis è spiri-  
tu, quem dedit nobis, ne ue in tantis diuitijs abijcere-  
mus timorem, prudenter nos monuit, dicens:

Charissimi,

Charissimi, ne cuius spiritui credatis, sed probate spiritus num ex deo sint.

Dicere uult: Is quidē spiritus de quo dixi, qui nos ad seruendam charitatem, mandataq; dei seruanda impellit, bonus est ac securus: sed sunt et alij spiritus aliō ducentes: igitur sicut parēre illi uos uelim, ita ab istis ne subuertamini, monuerim. Omnibus enim, & nulli credere æque perniciosum est. Nam leuiter credere, & agitari quouis uento uti arundinem, inconstantem hominē, & qui facillē pereat declarat. At nulli credere, & ueritati aures negare, desperatorū fuerit. Non est adeò graue periculū, audisse impios, si nō adhibeatur eis fides: sed in periculo sunt, qui illis credūt. Sicut neq; tentari malum est, sed intrare in tentationē. Eua nihil nocuisset, sed profuisset audisse serpentem: sed serpenti plus quā deo credidisse, lethale fuit. Non est in nobis situm, quibus uentis afflemur. Multa etiā inuiti audire cogimur, sed fidem illis adhibere, ut culpa non caret, ita & noxium fuerit: tametsi etiam istucipsum audire malum est, si libenter audias. Corruptūt enim bonos mores colloquia praua. Vnde beata uirgo dei mater apud se cogitabat, qualis illa saluatio: at non item Eua. Paulus quoq; ad Thessalonicenses dicit: Omnia probate, quod bonum est tenete. Probare autem spiritus, per se magnum donum est spiritus, & concessum credentibus, nonnunquam non solum de se, sed &

De probatione spirituum.

IN EPIST. IO. I.

**De appari-  
tione spiri-  
tuum.**

*de alijs quo spiritu ducatur iudicare. Ceterum hic nō est sermo de apparitionibus spirituū in uisibili forma, in quem usum nōnulli hoc dicto utūtur. Nā in uniuersum illis, nisi quod probatū, nihil credi oportet. Sunt enim pleræq; dæmonū imposturæ: nam licet uera non nunquam dicant, multa tamen mendacia intermiscēt, quæ non crederentur, nisi & ueritatem admixtam haberent. Et quanto magis uerisimilia dicunt, tanto damnosiores sunt: ut est uidere in delphicis oraculis, per quæ factum, ut nō deus uerus, sed idolum, & dæmon à gentibus pro deo coleretur. Ita & dum spiritus ad bona opera, ad missas et peregrinationes, & alia quædā, quæ potius speciē cuiuspiā boni habent, quàm reuera sunt, hortatur: non hoc fit, ut homo inde capiat utilitatem: sed dum illis fides habetur, uerbo dei non credatur: quod homini malū maximū. Etenim etiam ubi angeli apparent, uix periculo careret nostra infirmitas, nisi cōfirmaretur. Et satanas in angelū lucis se transfurare nouit & audet. Dici nequit, quot technis hostis humanum genus circumueniat. Vnde non sunt optadæ uisiones, nec quis se dignum existimare debet, ut nūc uideat uel Christū uel angelos. Postquam spiritus sanctus tam manifeste scripturas per apostolos declarauit, quid opus uisionibus illis, præsertim admonente Christo: Legem habent ac prophetas? Quod si deus quempiam suorum uisitare dignaretur bonorum angelorum apparitione, ut Petrum: non temere, sed præmissa*

præmissa probatione illis accommodandæ forent au-  
 res cordis. At non hic loquitur apostolus de spiri-  
 tibus, qui in uisibili forma apparent: sed de his qui men-  
 tem inspirationibus sollicitant, tam in doctrinis, quàm  
 operibus eligendis. Ut si aggredi rem aliquã uelis, ui-  
 delicet fungi sacerdotio, querere solitudinem, ire obui-  
 am inimicis, fugere periculum, reponere pecuniam:  
 uel si doceantur insolita, ut nunc: uel si propheta quis-  
 piam surgeret, monet ac dicit: Vide ne sis leuis creden-  
 do, sed dijudica: & non solum externam speciem, sed  
 finem potius specta, & num ex deo sit expende. Hic  
 non est quod in alios rem hanc reijcias: etiam tuũ fue-  
 rit probare. Dicit enim non huic uel illi, sed indefini-  
 te, nimirũ omnibus quibus id doni datũ. Dignatur spi-  
 ritus nõ solis magnatibus, sed & inferioribus arcana  
 reuelare, personasq; nullas respicit. Probare, non sta-  
 tim condemnare iubet: qui nunc multorum mos est, ut  
 etiam non audita condemnent, anathemaq; faciunt. O  
 Iudices, ô censesores. Tu ne ita imprudenter in cuiusuis  
 sententiã profilias: sed proba, & dijudica, sicut & tua  
 dijudicari uelles. Et quomodo probabo, dicis? Proba  
 num ex deo sunt. Non dicit, proba an ab imperatore,  
 an à papa, an à cõcilio approbatũ sit: sed proba, num  
 ex deo. Ne ab alijs p̃deas, res tua agitur. Proba, num  
 ex deo. Nam omnis homo m̃dax. Et si etiã ultra quæ-  
 ris: Vnde, & qua ratione potero scire, quid placeat,  
 quid displiceat deo: quid proficiscatur ex deo, uel quid



non: Abscondita sunt cōsilia dei, & imperuestigabiles  
 uie eius? Si quidem nō haberes scripturam, si filius dei  
 qui est in sinu patris, nobis non enarrasset illud, for-  
 tassis locum haberet interrogatio illa: nunc autem ue-  
 rē in Galaad scripturarū reperimus resinam & phar-  
 maca, atque consilium. Habemus certum scopum & re-  
 gulam, quæ aberrare nos non sinet, adeò ut si angelus  
 de caelo ueniret, imò omnes angeli, & aliud docerent,  
 anathema censerī debeat. Ante omnia enim Christia-  
 no persuasum esse oportet, scripturas sacras diuinitus  
 inspiratas. Et planè impietatem suam declarant, qui  
 consultant, Euangelium docendum sit, nec ne. Hostes  
 autem sunt ueritatis, omniumq; maxime blasphe-  
 mi, qui & apostolos & euangelistas absq; spiritu scripsis-  
 se dicunt, uel euangelica docentes persequuntur. Quot-  
 ritus per scripturas . di munus sibi uendicant, ex deo non sunt, sed fures ac  
 latrones: non enim per ostium ingrediuntur, sed aliunde.  
 Probate num ex deo sint. Et quid occlanatis? No-  
 bis adstipulatur patres, ecclesia (illa scilicet quam ipsi  
 fingitis) à nostra parte stat, nostram sententiã confir-  
 marunt concilia, papæ, episcopi, monachi, gymnasia, con-  
 sensus orbis & tot seculorum. Amici, nihil adhuc audi-  
 mus à uobis præter homines, apostolus probare iubet,  
 num à deo sint. Fieri potest, ut errarint & monachi et  
 concilia & uniuersitates, ut in quibusdam errarunt,  
 neq; possunt nō errare, quotquot uerbo dei repugnant.

Probanda

Probanda sunt & ea quæ à patribus prodita, nū diuino afflatu sint dicta. Verbo dei, cui innituntur, opus habent animæ. Atque ita Christus de Ioanne rogabat ex Iudæis, Baptismus Ioannis num ex deo fuisset, uel ex hominibus: indicans nimirum, si ex hominibus fuisset, nullam authoritatem mereri: sin ex deo, probatum.

Quid ergo hominū laruis nobis imponi sinimus? Hic mihi uideor uidere quid nonnulli secum mussitent. An non & hæretici scripturis gloriātur? Fatcor, & si qui dem probe illas tractarint, cū scripturis minime reijciuntur, neq; seducent. Sin more diaboli, pro suis dogmatis quedam decerpunt, recipi quomodo possunt? Nam & ille ex Psalmo citauit, Angelis suis mandabit de te. Vnde & hoc loco spiritus probatione indigent.

Quid igitur faciam, dicis, qui literaturam non didici?

unde sciam quid ex deo? Cōmonstrabo tibi & hic sco Scopus scri  
pura scripturæ, quem heri indicauit euāgelista, nempe ptura.

ex deo erit, si te uerè duxerit ad credendum nomini Iesu, incrementumq; fidei, & ex ea fide in dilectionem proximi. Proprium enim pseudoprophetarum est, à fide discedere: & ubi non est fides, ibi non est charitas: ubi autem non est charitas, ibi non est deus. Et uis, exempli gratia, dicamus quedā.

Sint igitur hypothesis Indulgen-  
indulgentiæ Romanenses. Probabis illas non esse ex tia.  
deo? Faciliter quis è medio triuio dicere posset, nō per

tas quæri gloriā dei, sed pontificem egere pecunia: & in quæ usum? nū ut pascātur pauperes? minime, sed ne

IN EPIST. IO. I.

pereat fastus eius, & fortè cōducatur exercitus, et trucidentur pauperes: atqui spiritus Christi & charitas non docēt fastum, bella, luxum. Sed nos demus illa non ita se habere: circūspice igitur num augeatur fides. Verum quo pacto salua erit, ubi ad nostra opera, & satisfactiones potius, quàm ad dei misericordiam mittimur? Et si quis cauillaretur mitti nos ad opera, quæ ex fide proficiuntur, euincemus uel ex ipso nomine, indulgentijs, etiã à bonis operibus relaxari bonorum operum debitores. A quo statim resiliet spiritus, ut cunq; detorserint deprauatores scripturæ illud: Tu es Petrus, &c. Et, quodcūq; ligaueris in terra, ligatū erit in cœlis: & quicquid solueris in terra, solutū erit in cœlis. Vis & fraternitatum sectas improbare per spiritum? attende quæ ratio habeatur fidei, & quanta gloria Christi. Statim nomen probabit parum illas fideri Christo. Quos in solo nomine Christi gloriari oportebat, ij gloriantur in nomine Sebastiani, uel Mariæ, uel Benedicti. Et num pro illis crucifixus est quispiam Benedictus? nū in nomine Benedicti baptizatus est quispiã? uides ibi periclitari fidē, sed multo magis charitas: nam dum pauca quædã membra conspirant, reliqua contemptui sunt. Quis nescit, quod absq; peccatis neminē cooptat? quis ignorat quonodo inani spe inflantur, quasi præ alijs tutius uel hic uiuant, uel hinc migrent? Multo commendatiore esse oportebat omnē pro quo mortuus est Christus, quem pro fratre habemus.

Fraternitates.

remus. Verum quandoquidem sectæ illæ non concilian-  
 tur fide in Christum, nihil minus in istis est fraternita-  
 te ac charitate. Placet aliam quoq; abominationem ui-  
 dere in templo, quam tamen pleriq; summam pietatis  
 ancoram credūt. Missam sacrificium esse aiunt. Papæ *Missæ non*  
 quàm disperijt illic fides: fides habet, satisfecisse pro *sacrificium*  
 peccatis nostris sanguinẽ Christi semel effusum & ob-  
 latũ. Quæ igitur illa arrogantia nostra, quod offeren-  
 do aliorum tollamus peccata, & eorum qui iam ob-  
 dormierũt? Est ne ulla fidei mica, dũ magis uideri uo-  
 lumus dare, quàm accipere à deo: et quæ recipimus,  
 magis iuste, quàm misericorditer recipere? Et quam-  
 paucissimos inuenies ex sacrificibus illis, qui persua-  
 sum habeãt quod faciunt probari à deo: atq; ò utinam  
 persuaderent sibi, abominationem esse apud deum su-  
 um illud ministerium, uti planè est, & desisterent. Iam  
 quomodo salua charitas, quæ ceu peculiari simbolo in  
 mensa dominica commẽdatur? Vbi omnibus membris  
 conciliari deberemus, ibi solus rarus minister suã rem  
 agit, & rarissime ad calicis participationem aliquem  
 admittit? Quid quod ipsa uerba testamenti tam hu-  
 mili uoce mussitantur, ut audiri ab ipsis dicentibus ne-  
 queant, & si ab adstantibus audiantur, peregrina lin-  
 gua pronunciata nequeant intelligi? Audi & aliud ex  
 exemplum sanctimonie titulo similiter se uenditans,  
 & dijudica. Vota, aiunt, opera monachorum perfectio  
 ra reddunt. O lepidum dogma, sed tu expendẽ fidem. De uotis.



IN EPIST. IO. I.

An non tota scriptura clamat, iustitiam & perfectio-  
nem nō esse ex operibus legis? Vota autem, si honesta  
ri possunt, non sunt meliora o peribus legis: quomodo  
ergo tam amplam dabunt iustitiam? At illi uotis suis  
quā fide in Christū sanctiores erunt? O miseros. Ex-  
ulat autē nō minus et apud illos charitas, quæ fidei co-  
mes indiuidua est. Charitas nō in lingua & uerbo tan-  
tum, sed opere & ueritate est. Votis autem manci sūt  
monachi. Eximūt enim se ab omnibus fermē charita-  
tis officijs. Nam dū obedientiā uouēt, nec patri filius,  
nec matri filia, nec sorori frater, nec ægro sanus, nec  
indoctis docti, nec mœstis uerbo cōsolationis ipertur-  
bati prodesse possunt, serui facti idoli cuiuspiā, cui nul-  
la uel fidei uel charitatis cura. Charitatē insuper com-  
mēticia paupertate sua impugnāt, dum uel ociosi, uel  
mendicantes alienum panem edunt. Castitas deniq; si  
dono dei contigit, ut scriptura docet, cur uouetur? Sin  
donata non fuerit, quanta, ô deum longanimem, hy-  
pocrisi & fœditate mūdo imponimus, & deo in crea-  
turis suis oblectamur? Opinor neminē tam crassum,  
quin intelligat, quonam spiritu illa fiant. Optime igi-  
tur monet Ioānes: Charissimi, probate spiritus num  
ex deo sint. Iterum dico: In his quæ animæ sunt, absq;  
uerbo dei, sicut & supra dictum, ne quid attētes. Quæ  
uerbū dei probat, tuta sunt: suspecta autem, quæ per  
uerbum dei commendari nequeunt. In his quæ ani-  
mæ, ne multitudinem, ne exempla etiam sanctorum se  
stare,

stare, sed uerbum dei. Verbum dei, non hominum inquam:
 saepe enim hoc dicere cogor. Deus gloriam suam non
 daturus est alteri. Verbum eius permanebit in secu-
 lum, & ne iota, uel apex quidem peribit. In sacramen-
 tis praesertim nostrum non est immutare quippiam.
 Quod si omnino ab hominibus discere uolumus, eos
 audiamus ad quos uerbum dei factum est. Nam dum di-
 cit Moses: Interroga patres tuos, & dicent tibi: maio-
 res tuos, & annunciant tibi. non de his loquutus est,
 qui nunquam fuerunt discipuli spiritus, quales non pauci
 inter episcopos et scholasticos, qui magisterium sibi uen-
 dicant. Merito admonet nos interitus sancti prophe-
 ta, quem leo in uia occidit, ut legitur 3. Reg. 13. Sed
 operae precium est illius historiam hic texere, ex qua co-
 gnoscas discrimen quoddam spirituum. Legimus quomo-
 do uir dei uenit de Iuda in sermone domini in Bethel,
 stante Hieroboam super altare & thus iaciete, & ex-
 clamauit contra altare in sermone domini, & ait: Al-
 tare altare, haec dicit dominus: Ecce filius nascetur do-
 mui dauid Osiat nomine, & immolabit super te sacer-
 dotes excelsorum, qui nunc in te thura succedunt, & c.
 & dedit signum: Ecce altare scindetur, & effundetur cinis
 qui in eo est. Rex autem his auditis apprehensurus
 erat illum, sed aruit manus eius, & ad preces uiri dei
 restituta est. Et altare scissum est, et cineres effusi. Au-
 disti uiri sanctimoniam, quam obediens uerbo dei in-
 te tam ardua, et regem minus quam umbram timuerit,

non ignorans illum seuiturum in se, eo quod Iudæus esset, & nō Israēlita: et argueret nō priuatim, sed in medijs ceremonijs deniq; iniuria affectus? Et quum deus propter seruū suū regē puniret, ipse iam sub lege implens mandatū Iesu, pro inimico suo precatus est, & regē sanauit: quūq; munera illi offerre uellet, respuit: seruans & in hoc præceptū Christi, Gratis accepistis, gratis date. & nec comedere nec bibere uoluit, quoniā ita præceperat dominus. Caterū tantus uir de  
 Sancti decipi possunt. errare posse. Deceptus est autem in hunc modum. Senex quidam propheta habitans ibi, dixit: Veni mecum in domum, ut comedas panē. Ille primum negauit. Cui alius: Et ego propheta sum tui similis, & angelus loquutus est mihi in sermone domini. reduxitq; eum, & seduxit. Vides hic cōcertationē, uterq; se dicit habere spiritum. Cui credere debebat? Planē uisioni suæ, quam tot signis certissimam probauerat, quod & dominus ostendit illum puniturus, dicens: Quia non fuisti obediens ori domini, & nō custodisti mandatū, quod præcepit tibi dominus, & comedisti ac bibisti, &c. nō inferetur cadauer in sepulchrum tuū. Quid manifestius dici potest, ne à uerbis domini discedamus? Vnde et Esaias cap. 30. Væ uobis filij desertores, qui initis consiliū, & non ex spiritu meo. Os domini non requisistis. Et cap. 8. Pro uiuis ne ad mortuos? Ad legem, ad testimonium. Si non iuxta uerba hæc, non erit ei lux matutina. Et

na. Et si adhuc miraris quare dominus permittat pseudopphetas, simplices ita decipere. En nō solum permittit unum & alterum, sed multos, unde & maiori opus est circumspectione. Dicit enim:

Quoniam multi pseudopphetæ uenerunt in mundum.

Hic attende quod dicit, multi. Nuper enim quidam inepte interpretatus est illud Pauli, 1. ad Tim. 4. Spiritus certo loquitur, quod in posterioribus temporibus desciscant quidā à fide. Quasi, quidā, excludat multitudinem. Ecce hic dicit multos fore pseudopphetas, et etiam iam tēpore Ioannis uenisse in mundū. Atq; postrema tēpora apud Paulum, non solū respiciunt seculum consummationi mundi proximū, sed & reliquū illud, quo regnat Christus. Si etatem miraris, quare deus pseudopphetas immittat, in promptu causa est. Tentatur fides nostra, ut palām fiat, utrum diligamus deum toto corde. Et quia non credimus & diligimus deum, iuste sinimur decipi. hoc et Paulus 2. Thes. 2. dicit. Pro eo quod ueritatem dilectionis non receperunt in hoc ut salui fierent, propterea mittit illis deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati. Eze. 14. ait: Qui cunq; posuerit idola in corde suo, & scandalū iniquitatis cōtra faciē, & uenerit ad prophetā ut interroget per eum me, ego dominus respondebo per me, et ponā

Vnde pseudopphetæ.



## IO EPIST. IO. I.

faciem meam super hominē illum. & faciam eum in ex-  
 emplū et prouerbiū, disperdamq; de medio populi. Iux-  
 ta iniquitatē interrogantis erit iniquitas prophete.  
 Quid est ponere idola in corde, quā nō sectari deū fi-  
 de? Omnis enim incredulitas, abominatio est sicut ido-  
 lum, & scandalum iniquitatis, sicubi proximo nocere  
 cupimus. Vbi igitur in scripturis queritur, nō ut ue-  
 ritas elucescat, sed ut noua dogmata stabiliātur, fastus  
 crescat, honori uel facultatibus aliquid accedat, quid  
 mirum si aberretur? Proinde necessariū est attendere  
 à pseudoprophetis, quos à fructibus dignoscere iubet.  
 Nam si docuerint ea, quæ sunt spiritus boni, utpote fi-  
 dem in deū & charitatē in proximū, cum omni humi-  
 litate, patientia, longanimitate, pace & continentia,  
 non poterunt esse mali. Sin docuerint ea quæ sunt car-  
 nis, & huius mundi, ceremonias & iudaica, appa-  
 ret fallaces esse. Vnde Paulus quoque Corinthijs dicit:  
 Nos spiritum mundi non accepimus, sed eum qui est ex  
 deo. Aliter quidā hodie probant spiritum & fidem, ac  
 fructus uerbi, dicunt enim: Videmus pauciores in tem-  
 plis uersari, rarius offerri: traditiones patrū parui fie-  
 ri, quosdā quouis cibo uesci, exire è monasterijs, abijce-  
 re cucullos, ducere uxores, sanctorū patrocinia conte-  
 mni. Quis iussit illa ratione explorari spiritus? Hoc fu-  
 erit querere, num ex patribus sint doctrinae. Tu uide  
 ut per fidem deo placeas: totus mundus tibi templum  
 sit, omnis dies festus, omnes homines fratres, in omni-  
 bus

bus quere deum: uide ne scandalosis proximo, uide ut  
 & alijs prosis: sectare ea quæ spiritus sunt. Caro autē  
 nō sapit ea quæ sunt spiritus. Vide ne quæ tua sunt quæ  
 ras, sed quæ aliorum, idq; in Christo Iesu: sectare cha-  
 ritatem, & quæ maxime spiritualia. Transfigurato  
 Christo in monte dicit Petrus: Bonum est hic nos esse.  
 Quam uocem non probatam testatur Euangelista, di-  
 cens nesciuisse quid loqueretur. Impedire enim affe-  
 ctu carnali cupiebat Christum à passione, & conse-  
 quenter à salute hominum: sicut & postea quum dice-  
 ret, propitius esto tibi domine, audit: Vade post me sa-  
 tana. Quis ex plebe non putaret affectū Petri pium?  
 sed quum probatur spiritus, apparet quod quæsiuerit  
 ea quæ sunt carnis. Debebat obedire uerbis Christi,  
 & uolendum erat quod pluribus proderat. Porrò Io-  
 annes alijs uerbis quomodo probandi sint spiritus do-  
 cet subdens:

Per hoc cognoscite spiritum dei. Om-  
 nis spiritus qui confitetur Iesum Chri-  
 stū in carne uenisse, ex deo est. Et omnis  
 spiritus, qui non confitetur Iesum Chri-  
 stum in carne uenisse, ex deo non est.

Non parua dicit. Non enim dicit, qui credit Iesum  
 Christum (hoc enim ut internū quippiam nos ignora-  
 mus) sed qui confitetur id quod credit: hoc est testatur  
 uita et modis omnibus gloriā Iesu incarnati, immotesce

Confiteri  
 Christum.

IN EPIST. IO. I.

re cupiens undiq; quam etiam si moriendū sit, nō uult occultare. Inde martyrū & confessorū nomina sunt orta. Quod si quis pro Christo uitā, ac omnia quę in mundo sunt, amittere paratus est, modo illū fateatur, is proculdubio etiam alijs modis exprimet Christum, omnia faciendo & ferendo propter Christum. Itaque stulte credere se putarunt Arius, Macedonius, Eunomius, Valentinus, Marcion, Pelagiū: nam dogmatibus suis etiā derogare studebant glorię Christi, quem uel non uerum deū, uel non uerum hominē, uel non satisfecisse pro peccatis nostris dixerūt. At Petrus recte confitebatur, Tu es ille Christus filius dei uiui: & audiuit, sibi non à carne, sed à patre reuelatum. Porrò qui hoc spiritu agūtur, ut confiteantur Iesum Christum in carne uenisse propter nos, hi agunt & opera spiritus: historica fide non sunt contenti, sed omnem fiduciam in Christo ponunt, & nō in operibus suis. Confer autem spiritū Christi & spiritum antichristi, ut scias uel spiritum esse nobis Christi uel antichristi, & non esse aliquem medium uel neutralem. Qui enim nō est pro eo, contra eum est. Spiritus enim antichristi est, qui obliuiscit doctrinam, gratiam, & gloriam Christi, nō solum doctrina, sed & uita mala: & dum pudet eum Euangelij, crucis, & uitę Christianę, ne & alij ad fidem accedant prohibet, per quem factum, ut discessum sit à fide in Christum ad nostras satisfactiones, à diuina lege ad humanas traditiones, de quo dicit:

Spiritus antichristi.

Hic est

Hic est ille spiritus antichristi, de quo audistis, quod uenturus sit in mundum, & ecce nunc est.

Prædixit enim Christus: Nunquid inuenturū putas filium hominis super terram fidem, quum uenerit? Et charitas multorum refrigescet. At uos charissimi uidete uocationem uestram, qua uocauit uos Christus, ut ne uos ipsos seducatis, sed fidem uestram operibus declaretis erga proximos in omni mansuetudine, misericordia & charitate: occursuri nimirum posthac læti in occursum redituro ad iudicium Christo, Amen.

## DEMEGORIA XV.



Solent bene morate conscientie terri ac confundi, quasi essent reæ, si uel in genere taxetur uitia. Vnde & in cœna dominica, quum notaretur proditor, quærebant singuli, Rabbi, nunquid sum ego? Verum non diu anxij sinuntur: exit enim Iudas, & glorificatum se dicit filius hominis. Ita & Ioannes, ostensa spirituum uarietate, ne in illos uideatur aliquid dixisse, statim eos à metu liberat, & se à suspitione purgat: attestans non dicta à se ad condemnationem, sed præmunitionē. & ne fortassis iterum ex spe multa inciderent in ignauiam, blandioribus uer



bis clariorem spirituum distinctionem in medium adfert, & dicit:

Vos ex deo estis filioli, & uicistis eos: quoniam maior est qui in uobis est, quam qui in mundo.

Non adulantis, sed amici sunt hæc uerba. Adulator sua sectatur, & laudes quas non oportet, tribuit immeritis. Amicus autem laudat uere, & non in suam, sed proximi utilitatem: atque ita, ut ne laudatus extollatur, sed officio fungatur diligentius. Fermè igitur sic dicit: Multi quidem antichristi, multi pseudoprophetae, multa & seductionum genera sunt: at uos iure deo gratias agitis, per quæ hæctenus à talibus seruari, & declarati filij eius. Dedit enim uobis ut illos uinceretis: attamen quod per gratiam assequuti estis, uidete ne per ignauiam iterum amittatis. Vides quod tribuit eis uictoriam, ut excitati suis laudibus strenui permaneant, nec fiant ex præclaris uictoribus turpiter uicti: & ex filiis dei in filios degenerent diaboli? Vides etiam, quod aufert illis uictoriam, & tribuit eam deo in illis inhabitanti dicens, Quoniam maior est qui in uobis est: ut

*Mutatio numeri.* ita omnis cesset arrogantia? Nec te perturbet quod nunc plurali numero dicit, eos, quum antea singulariter dixerit spiritum antichristi: ac mox subdat, cum qui in mundo. Vnum enim corpus est malorum, de quo nunc tanquam de multis, nunc tanquam de uno dicit. & est mos ille loquendi

quædi frequēs apud prophetas, ut Esa. 27. de Israël dicit: Veniēt dies & radices mittet Iacob, florebit et fructum afferet Israël, & implebūt faciem orbis. Afferet dixerat, & subiungit, implebunt. Quomodo autem nos efficiamur filij dei, sæpe dictū est. Fides enim nos efficit fratres Christi & filios dei: ut sicut ille per naturā, ita nos per adoptionē habeamus patrē deum, factorem cœli ac terræ, & non solum patrem, sed & habitātem in nobis tāquam in templis suis. 2. Corin. 6. affert Paulus testimonium ex uarijs locis scripturæ consarcinatum, & dicit: Vos templum estis dei uiuentis: quemadmodum dixit deus, Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum deus, & ipsi erunt mihi populus: quapropter exite de medio illorum, & separamini, & ero uobis in patrem, & eritis mihi in filios. Ad Gal. 3. Omnes filij dei estis per fidem quæ est in Christo Iesu. Tantum bonum est fidei, quin & per fidem uincimus, ad Heb. 10. Fide uicerunt regna, operati sunt iustitiam. Cadit Assur nō in gladio hominis. Et infra: Omne quod natum est ex deo, uincit mūdum, & hæc est uictoria uestra quæ uincit mūdum, fides uestra. Atqui quanto clarior est uictoria hæc, quàm profigare exercitus, expugnare ciuitates, & deuastare prouincias? Victores enim illorum, scedarū cupiditatum fuerunt mancipia. Fides autem ita inuictum reddit, ut cōtra fidelem ne portæ quidē inferorū praeualeant, ut cōterat caput serpentis, qui calcaneo eius in-

Fides quanta efficiat, nempe filios dei & ui-  
ctores.

IN EPIST. IO. I.

sidiatur, ambuletq; super scorpiones & serpentes. Magnū quiddam est ita te ipsum uincere, ut à nullo uinci possis. Et animaduerte quāti olim cōstitērit, & quantē uirtutis fuerit Christianum fieri. Contemptibiles fiebant toti mundo, quotidie expectātes inopiam, tormenta, rerum & consolationum terrenarum omnium

**Victoria Christianorum.** priuationem, & quotidianas mortes. Nec hodie certamen deerit strenuis Christianis: sed uincimus in Christo draconem Antichristum, spiritum eius, mundumq; totum. Quoniam maior est qui in nobis. Ecce unde u-

**Victoria à deo.** ctoria? nō à tuis uiribus, nō à libero arbitrio, nō à creaturarum subsidio: sed à deo per fidem inhabitante, cuius deliciae sunt esse cū filiis hominū, & pasci inter lilia. Christus uicit mundum, Ioan. 16. & nos in ipso uicimus. In nomine domini à Dauide Goliath proster nitur. Vnde Paul. 2. Cor. 9. Habemus thesaurū in testaceis uasculis, ut uirtutis eminentia sit dei, & non ex nobis, dum in omnibus premimur, & non anxij reddimur, semper mortificationem domini Iesu in corpore circumferentes, ut & uita Iesu in corpore nostro manifestetur. Sciat igitur unusquisq; uas suum possidere in sanctificationē. Templum dei sumus, quod si quis prophanarit, disperdet eum dominus. Habet antichristus spiritum mūdanum, & quærit prophanare templum dei & uerum spiritum qui in pijs: Christus autem ualidior illum uincit & conficit.

Ipsi

Ipsi è mundo sunt, ideo è mundo lo-  
quuntur, & mundus eos audit.

Nemo hic simplici dictionis filo offendatur cū gram-  
maticis, qui rati loquacitatem esse clamant: Quātum  
hic mundorū? quin potius magna emphasis hic atten-  
datur. Nam propè semper magno cum fructu audito-  
rum ingeminantur maximarum rerum, siue terribi-  
lium, siue iucūdarum nomina: ut sunt lux, tenebræ, de-  
us, mundus. Et perinde est ac si diceret: Antichristiani  
habitant in abominationis loco, præter abominatio-  
nem nihil sciunt, præter abominationem nihil loquun-  
tur, & quicquid agunt abominatio est: neq; amat eos  
ullus nisi abominabilis sit. Est enim mundus sicut pec-  
catum, inuidiosæ rei nomen. Quod si uolueritis pseu-  
doprophetarum spiritus dignoscere, discite, inquit, il-  
lorum mores, quàm procul absint à uestris: Vos muni-  
cipatum habetis in cœlis, hi habitant in mundo, & ad-  
dicti sunt mundo. Ibi enim esse dicimur, ubi corde uer-  
samur. Si mēte coelestia tractas, cœli ciuis es: sin terre-  
na, mundi mancipium. Ita & dominus dixit, Vbi the-  
saurus tuus, ibi cor tuū. In mūdo est, qui præesse alijs,  
uel plus possidere, uel & in delicijs uiuere cupit. Et  
habēt impij hūc mundū intra se: nam talia innascūtur  
in nobis per philantiæ morbū. Atq; hic est thesaurus  
noster. Vnde & sermone à iustis iniusti dignoscūtur.  
Iustorū sermo de rebus pijs est: qui de terra & mūdo,



IN EPIST. IO. I.

de terra loquitur. Et ex abundātia cordis os loquitur. Character cordis sermo est. Sed ne ad solā respexeris loquelā, tota illorū uita loquela est, & prodit eos esse mundanos. Qui intersunt illorum conuiuijs, non audiunt loqui de Euangelio, de beneficijs Christi, de constantia martyrum, de æterna gloria, de lucro animarū, de redimendis conscientijs captiujs, de pace componēda: sed de scortis, de equis, de uiuarijs, de appellationibus & foro competenti, de præbendis & dignitatibus, de bellis, et de rerū nouatione. Et talis sermo eorum, qualis animus, talisq; uita, qualis sermo, coinquinatissima scilicet omnia. Et illos quidē mūdus amat, ut similes cum similibus cōgregētur: discipulos autē Christi amare non potest, sunt enim crucifixi mundo. Dicit de illis Hierē, Prophetæ prophetabāt mendaciū, & sacerdotes applaudebant manibus, & populus dilexit talia. Filij Israēl carnales, Aegyptiorum ollas semper sapiebāt. Squamæ suo Behemoth semper adherēt. Et falsi prophetæ quidem tales sunt. At filij dei quales?

Nos ex deo sumus. Qui nouit deū, audit nos; qui non est ex deo, nō audit nos.

Antithesis pulchra est: opponit enim, Nos ex deo sumus: dicto, In mundo sunt. Et qui nouit deum, audit nos: ei quod dixerat, Illos mundus amat. Nihil autem opponit ei quod dixerat, De mundo loquuntur. Satis enim ex alijs liquet, quod iusti de deo loquantur. Porro dicunt

rò dicunt & pharisei, Vnū patrē habemus deum: & mendaces arguuntur, eo quod sint filij diaboli. Dicunt omnes fideles quod Ioannes hic dixit, ac laudantur: precamur enim, Pater noster. & ad Romanos. & clamamus, Abba pater. Et idem spiritus testatur quod sumus filij dei. Non enim patrem inuocamus sicut gentiles, quibus post hanc uitam nulla spes est, & uocant Iouem iuuantem patrem: sed nos inuocamus, ut hi qui per fidem in filios adoptati, magnaq; uoluptate de deo loquimur. Satis obiurgantur hic contemptores uerbi dei, utpote ingratiſſimi, qui neq; ex deo, neq; commercium habent cum deo, neq; deum audire dignantur. Christus in hac uita agens, dicebat: Qui non diligit me, sermones meos non audit. Nunc uero habitans in suis, sicut loquutus est per os sanctorum, dicit: Qui uos audit, me audit. Neq; hunc locum antichristi ani pro se adducere poterint. Quandoquidem ex suis loquuntur, & qui ex suis loquitur, mendax est. Consolationem habent hic concionatores. Quoniam enim pauci ex deo, quid si pauci illos audiant? maior semper pars sequuta est mundum.

Per hoc cognoscimus spiritum ueritatis & spiritum erroris. Charissimi, diligamus nos inuicē, quia charitas ex deo est. Et omnis qui diligit, ex deo natus est, & cognoscit deum. Qui non diligit, non

non nouit deū, quoniā deus charitas est.

Vt adhuc clarius intelligas discrimen inter spiritum ueritatis, & spiritum erroris, qui à prophetis spiritus dicitur uertiginis: subiicit nouam probandi rationem, à charitate scilicet. Prius docuerat à confessione, quæ fidem & gloriam Christi euulgandam respicit: nunc à charitate iubet discernere, qua nos mutuum diligimus, & mutuis afficimus beneficijs, id quæ propter Christum. Ioannis 8. diaboli filij dicuntur pharisæi propter homicidium, odium, & mendacium. At filij dei parati sunt etiam pro alijs occidi: benefaciunt bonis & malis. ut sint filij patris, qui sunt solent suum oriri super bonos & malos: quia charitatē deo gratam sciunt. Vide quantum discrimen? Boni non solum imitantur deum, sed & charitatem ab ipso accipiunt. Non enim ex nostris uiribus est (Prodeat enim qui suis uiribus cogere possit uoluntatem suam renitentem, ut amet eum quæ odit, & qui se odio habeat) Et ideo boni etiā propter charitatis datorem, amant. Diligunt publicani & ethnici, sed propterea non ex deo nati sunt: quia non deum, sed seipsos in alijs diligunt. Eatenus enim diligunt, quatenus emolumentū quippiam ad se redit: sua commoda sectantur, non gloriam dei. Ita & matres pleræque filios amant, et quamuis maxime uideantur amare, quia non diligunt in deo, non amant. Vnde illas emendans Paulus, ad Titum 2. iubet diligere uiros, amare liberos, nempe in deo. Nā  
alioquin

alioquin admonere ad quid attinebat? Deniq; quare deus charitas est? quoniam adeò charitatem amat, ut charitas & deus charitatis, pax & deus pacis dici uelit: & non solū dici uult, sed & est. Et quomodo est charitas? imò quomodo non est? Quo pacto enim, qui supra omnem modum bonus & sapiens & omnipotens, non amaret supra omnem modum suam bonitatem, non etiam summam haberet charitatem? Ut magno & ineffabili nexu unum sunt pater filius & spiritus sanctus, ita quomodo non & suam creaturam amaret, & quicquid à se factum diligeret? Nihil odit deus eorum quæ fecit, peccatum solum abominatur: quia ab ipso non est. Itaq; qui dei est, deumq; noscit, amabit deum, & ea quæ deus amat, & quæ ille fouet fouebit, ut uerè cum filio dei etiam ipse filius dei hereditatem accipere possit, Amen.

## DEMEGORIA XVI.



Lim Psaltes, & nunc quotidie ecclesia precatur: Legem pone mihi domine uia iustificationum tuarū. Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum ut sciam testimonia tua. & iterum: Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes. Quæ erat illa lex, obsecro, quam edoceri cupiebat? Nunquid cum pueris preceptores aditurus erat? An ignorabat, quæ multi, etiam impij sciunt? Non igno-



IN EPIST. IO. I.

rabat legem, cuius omnis meditatio lex erat, præsertim propheta: sed illam petebat, quam homo neq; docere, neq; discere suo studio poterit, cuius unicus doctor est spiritus sanctus, de qua inquit: Dabo legem meam in uiscera eorum, & in corda ipsorum scribam eam. Illā nos hic docere uult Ioannes, qui tanto studio nos ad charitatem hortatur. Facit enim hæc, ut quod caro refugit, alacri fide, mirāq; promptitudine spiritus obeundū suscipiat. Et quia semel in mentionē eius incidit, ostendens quod per eam cognoscimus an simus ex deo uel non, & quibus spiritibus sit credendū, uberiorius de ea loquitur. Sed hoc iterum expendamus quod

Deus chari-  
tas est.

dicit, Deus charitas est. Quis ergo non uelit charitatem amplexari? Bonum exemplar est, ad illud mores nostros emendemus: alia enim omnia ad hoc corriguntur. Vel degeneres filij, uel idigni serui sumus, nisi hęc patris & domini uirtutem imitemur. Attende autem quanta sit dei charitas. Quare deus creauit angelos, coelum, terram, & hominem? quare hominem tot ornauit priuilegijs? quare seruire fecit illi creaturas ceteras? Quid nobis debebat, quum non essemus? quid eum impulit? Deus charitas est, & ut Sapiens dicit, Vniuersa propter semetipsum operatus est. Quare res in ordine suo conseruat uerbo & imperio uirtutis sue? quare tam longanimis est in serendis nostris iniquitatibus? Deus charitas est, & usq; in hunc diem operatur, &

se in suis creaturis diligit, bonitatemq; illis communi-  
cat, ut sint, ut bene uiuant, ut sentiant, ut & alijs bonis  
fruantur. Manifesta sunt hæc charitatis indicia: atque  
adeò quocunq; uerteris oculos, uel in cœlum, uel in  
infernũ, ubique cupiosam inuenies dilectionem dei:  
in his etiam quos punit. Nam & impiũ ipsum ad diem  
malum fecit: neq; odit in illo se & quod suum, siue pœ-  
nam, siue illum qui punitur dicas. Non enim punitur  
quia illius est, sed quia alienus. Bonos autem totos pos-  
sidet, & ipsi in omnibus etiam aduersis gustum suauitatis  
illius possident. Esa. 26. In semita iudiciorum sus-  
tinent eum. Vbiq; bonitas relucet, ubiq; ergo & cha-  
ritas relucet. At unum opus præ omnibus alijs reful-  
get, quod si digne animabus nostris persuasum fuerit,  
impossibile erit, quin nos quoque charitatem doceat.  
De hoc nunc Ioannes subiungens, dicit:

In hoc apparuit charitas dei, quod fi-  
lium suum unigenitũ misit deus in mun-  
dum, ut uiuamus per eum. In hoc est cha-  
ritas, non quod nos dilexerimus deũ: sed  
quod ipse dilexerit nos, & misit filiũ pro  
pitiationem pro peccatis nostris.

Charitatem uidere non possumus, opus charitatis  
uidemus: unde dixit, in hoc apparuit. In signem Abra-  
hæ charitatẽ uidemus præclaro opere, quod diuinam  
nobis deliniat. Filium enim sibi in extrema senectate

IN EPIST. IO. I.

tum, omnibus uirtutibus præditum, unicum solatium,  
 & heredem, è quo tãtam sperabat posteritatis sobo-  
 lem, quem nõ minus, sed plus quàm suam diligebat a-  
 nimam, ad sacrificandum ducit, immolaturus, & igni  
 quoq; consumpturus. Quis nisi paternos ignorans af-  
 fectus non diceret maximam charitatem? Tale quid-  
 dam & multo amplius est, quod de deo hic commemo-  
 rat. Quid habet preciosius deus filio, qui lucis eius  
 candor est, & omnem habet eius sapientiam, bonita-  
 tem, potentiam, gloriam & felicitatem? & solus est  
 unigenitus, nõ ut Israël qui primogenitus dicitur, uel  
 sancti. Et ecce illũ ipsum qui in sinu suo est, misit in mũ-  
 dum, quasi interim cariturus hoc solatio, reuera tamẽ  
 manẽs in filio, sicut & filius in ipso. Obstupescere legẽ  
 uel cogitans, & per admirationem lege. Magni myste-  
 rij uerba sunt. Dignissimus indignissimo, rex seruo,  
 creator creaturæ filium mittit, ut ministret: filium mit-  
 tit, non angelum neq; archangelum. Et animaduerte  
 quid sit in mundum mittere, nempe in uallem miserie  
 & lachrymarum, exilium, mare, & uoletudinarium,  
 caueamq; luporũ & leonũ. Si non misisset ad crucem,  
 magnum erat mittere in mundum. Vnde Paulus admũ-  
 rans dicit ad Philip. 3. Qui cum esset in forma dei, non  
 arbitratus est rapinam ut esset æqualis deo, sed semet-  
 ipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudinem  
 hominum constitutus, & figura repertus ut homo, fi-  
 ctus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis.

Porro

Porro adhuc uideamus quàm tenuia liniamentà chari-  
 tatis in Abrahamâ & Isaac, si conferantur ad Christum.  
 Quid uel cui proderat mors Isaac, quæ alteri uitã da-  
 re nõ poterat? At quis enarraret, quot fructus, quãta  
 commoda, quãtum meritum effusi sanguinis Christi?  
 Christus autem nõquid indigebat ipse ut mitteretur?  
 Paulus dicit, Pro nobis tradidit illũ, in nostrum usum  
 scilicet. & quis usus ille? ut uiuamus per eum. Vide  
 quantum hoc donum, non solam inopiam releuauit,  
 non solum maculas & peccata abluit, non unum tan-  
 tum & alterum restituit membrum, sed ut uiuamus  
 per eum, uitãq; æterna. Esa. 9. Puer natus est nobis, fi-  
 lius datus est nobis. Ille per quem omnia facta sunt,  
 & sine quo factum est nihil, mittitur in exilium, ut re-  
 ducamur in patriam: obijcitur exprobrãtib; ut glo-  
 riosi fiamus: occiditur, ut uiuamus. Et quæ charitas  
 amplior esse posset? Sed audi plura. Abraham dans fe-  
 lium, reddebat ei à quo acceperat: & innumeris alijs  
 beneficijs affectus, debebat deo & se & omnia. At  
 quid nobis debuit deus? quid prætexemus illi oblatum  
 à nobis, quod non prius accepimus? & non solum ni-  
 hil dedimus, sed inimici et peccatores fuimus. Ad Rho-  
 5. Commēdat charitatem suã nobis deus, quod quum  
 peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est:  
 quum inimici essemus, reconciliati sumus. & Esa. 53.  
 Vulneratus est propter iniquitates nostras, & attri-  
 tus est propter scelera nostra. Posuit in eo dominus



iniquitatem omnium nostrum, propter peccatum populi mei percussit eum. Hoc nec Ioānes obtulit, dicens: In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus deum: negabat enim caro deū, & planè odio habebat. Quas prætexas iustitias, quum uideas scripturā omnia concludere sub peccatum? Vbi meritum congrui, electionis, conatum, & strenuitatis? Vbi attritio, iustificatio nis initium, quum Christus pro inimicis & peccatoribus mortuus sit: & iustitiæ nostræ pannus sint mentstruat? Et in conspectu dei non iustificatur omnis caro. Sanè misericordia eius præuenit nos. Esa. 55. Venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione uinum & lac. Quicquid obtulisse & eo te prouocasse deum dixeris, parum pie loquēris, & gloriæ dei detrahes. Constabit enim uerbum Ioannis, quod prior dilexerit nos. Planè ante gratiam nihil tam sancte agimus, quod nō mereatur damnationem, & adhuc arrogare nobis aliquid audemus? Aduenit enim Christus qui placauit patrem, & nos illi conciliauit, cuius iustitia nostra est iustitia, qui redemptor & sacerdos uno sacrificio pro peccatis satisfecit. Dicit hic illusor quispiam: Peccabimus ergo, quandoquidem satisfactum est pro peccatis nostris? Respondemus, & nuper diximus, ô iniquissimum & crassissimum interpretem. Ita ne licet blasphemare in sanctum Israël? Hæcine gratitudo? Certior factus es de dimissis peccatis, & tu ad amplius peccandum profilis? Remisit pater, quia  
tu non

tu non eras soluendo: & arripuit filiū, ut tu fideliter uolūtarioq; seruires: & satisfecit quidem, ut uiuamus per eum: nos autem hoc discentes, audaciores in mortem curremus? Quid enim peccatum est, quàm stipendium mortis? donum autem dei, uita eterna per Christum Iesum dominum nostrum. Sed ut uideo, placet illis dogma de satisfactionibus. Hoc sentite, ait Paulus, quod & in Christo Iesu. Sentite dicit. Tūc enim nihil minus faciemus quàm peccatū. Nam hoc in nobis operabitur per fidē, quod operatum eū olim scriptura docuit. An autem hic ocij & peccati ansam demus alijs, uel si in flagitia ruant impij, satis ex sequētib; liquet: nimirum charitas charitatē pariet. Sequitur enim:

Charissimi, si sic deus dilexit nos, & nos debemus mutuò diligere.

Vides legē, & quid à te charitas uicissim exposcat? quid ue gratitudo requirat: nempe ut dicas; Quid retribuam domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Et quid dabimus? diligamus mutuū, cupiamusq; ante omnia ueritatis lucem innotescere omnibus, ut in nomine eius flectantur genua omnia. Christus propter nos seruus factus, fiamus & nos propter Christum aliorum serui. Christus nos dilexit, diligamus propter Christum nos & alios. Nefās est hic obijcere: Hic meus inimicus est. Erasmus enim & nos inimici. Nulla excusatio fuerit dicere: Hic peccator est.

IN EPIST. IO. I.

Eramus & nos peccatores. Qua ratione igitur nos Christiani lites & bella probabimus? Quid Christianis cum inclementibus usuris, & dura propter pecunias excommunicationis tyrannide? Ioannes dicit, Debemus. Nemo Sophistarum more ex præcepto consilium faciat. Iterum blæterabit quispiam: Seruiam deo, qui mihi benefacit: homini autē qui me & deum offendit, non seruiam. Inibo quietam uiuēdi rationem, enitar ut habeam annuos census, & non laborem. Ingrediar templum, uacabo lectiunculis & preculis, & ita placebo deo, uel ieiunijs: fratris autem minister esse nolo. Verum audi quid dicat apostolus:

Deum nemo uidit unquam.

Perinde ac dicat: Scriptura clamat, Misericordiam uolo & non sacrificium. Non exigit à te deus, ut sibi corporali ministerio seruias. Spiritus est, in spiritu serui sibi uult. Abest nunc, & uult ut quicquid corporalis ministerij est, proximo, sui nomine impendas, & habebit perinde gratū atq; in se collocasses. Queris pascere deum, pascce eum in pauperibus. Atq; hac ratione cibo proprium corpus pascas, quo ualeat prodesse proximo. Vide hic liquidum, quo spiritu ducti fuimus, quū nos ab omni ministerio fratrum subduceremus in secessus recipiētes. Hic de uisione dei quidam multa adnotant, quæ nos ut parerga præterimus, natia sententia cōtenti. Vult enim ut fratribus seruiamus, quandoquidē diuina natura superior est, quàm cui seruire possimus

simus corpore, nisi sicubi corpus in seruitutē animi subigatur: nam tū corpus seruit animo, ut in ieiunijs & genu flexionibus, ut animus seruiat deo. Nemo enim illa reprobat, modo ne introducamus superstitionem illam, secundo ad Colossenses ab apostolo refutatam. Porro expositionē illam rectā esse, habes ex eo quod postea dicit: Qui nō diligit fratrē, quem uidet, quomodo potest diligere deū quem nō uidet? Nec abludit epilogus dictorum, qui sequitur in hæc uerba:

Si diligamus nos inuicem, deus in nobis manet, et charitas eius perfecta est in nobis. Ex hoc cognoscimus, quod in eo manemus & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Et nos uidimus & testamur, quod pater misit filium seruatorem mundi. Quisquis confessus fuerit, quod Iesus est filius dei, deus in eo manet, & ipse in deo. Et nos cognouimus & credimus charitatem, quam habet deus in nobis.

Hæc pleraq; antea enarrauimus, nunc in anacepha. ἀνακεφα  
leo si repetere non fuerit operæ precium. Ecce, inquit, λαλῶσις,  
ex dictis habes certissimū indicium cōmunionis, quam recapitula  
principio annunciaui: habes indubitata cōiecturam  
fidei, per quam manemus in deo, & charitatis, per



IN EPIST. IO. I.

quam deus manet in nobis, num de spiritu sancto habeas. Et hæc est apostolica nostra doctrina, de testimonio nihil ambigas, quod Iesus sit saluator, & quisquis uerè illū confessus fuerit, beatæ illius communionis fiet particeps. Eius rei certum testimoniū intra nos habemus, nimirum quia credidimus quanta dei in nos fuerit ac sit charitas. Utinam id ipsum cum apostolis nos quoque uere dicere possimus, atq; ita bona fiducia aduenturum iudicem accedere ualeamus, Amen.

DE MEGORIA XVII.



Comparat dominus regnum cælorū negociatori querenti bonas margaritas, qui inuenta una preciosa, uadit & uedit omnia bona, quæ habet, ut mercetur illam. Talis nimirū mar-

Margari-  
tam emere.

garita est, ueritatis agnitio: ut eam emamus, opus erit sonoro fidei nomismate, quæ nobis contingit, distractis omnibus facultatibus nostris, ratione uidelicet, quæ non nisi crassa & presentia percipit, & uoluntate, quæ sua duntaxat sectatur commoda. Ut negociari ualeamus, alienandæ sunt à nobis nostræ cupiditates, & infatuanda est ratio in obsequium fidei, & accipiemus nummū fidei, quo ueritas haberi poterit. Est item preciosa margarita, quam Ioannes salutationis loco annūciavit, societas illa cum deo & sanctis, quam nos ideo nō assequi opinor, quia probatum fidei nomisma  
nobis

nobis deest, sed adulterinum tenemus. Et merito, non dum enim diuendimus malas nostras consuetudines, sed in iisdem permanemus semper, imò quidā & peiores efficimur. Quid enim decedit odijs, immiseri cordiæ, inani gloriæ, luxui? nōne quotidie apud plerōsq; multū accedit? Sed hæc ignauis dicta sunt. Vos tanquam uigiles adhortor, ut negociemini adhuc. Quousq; putatis expectabit nos deus? Horæ diei duodecim sunt, & fortassis nunc in extremo duodecimæ articulo sumus, mercandiq; finis erit. Negociemur ergo & nummum fidei, sicut boni trapezite probemus: probemus autē & indicem ipsum. id quod satis docuit Ioannes, & locupletius probat. Spiritus enim nos probat esse filios dei, & cōmunionem habere cum deo ac sanctis: spiritum probat fides, fidem charitas, charitatem præceptum seruatiū. De quo iterū subiūgit Ioan.

Deus charitas est: qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo.

Quasi diceret: Tam grata deo est charitas, ut habentibus illā abesse nolit, & communionem illā sepe dictam præbet. Tales enim per fidem incorporantur deo, & manent in eo. Deus autem habitans in eis, concedit ut spiritualiter uiuant, & bonis operibus abundant: & sicut deum præsentem habēt, ita socij sunt sanctorum omnium. Solent quidem hanc lectiunculam in conuiujs legere, ut simul & cœlestis & sensibilis men-

IN EPIST. IO. I.

Se sint participes. Quem morem quis non probaret, maxime hospitibus presentibus? Breuiter enim admonemur totius legis, & quantum abesse oporteat à Christianorum conuiujs, phariseorum scandala in cibo & potu. Mens enim uerborum sermè talis est: Nihil precepit nobis deus de hoc uel illo cibo, sed de charitate: quam si integram seruauerimus, & mutuis nos obsequijs fouerimus, alter alterius onera portantes, deum ipsum simul hospitem, & conuiuiam habituri sumus, benedictiq; ac mundi erunt cibi omnes temporibus omnibus. At nunc pergamus, & iterum alia ratione probemus, num sit in nobis uera dei charitas.

In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fidutiã habeamus in die iudicij: quod sicut ille est, ita & nos sumus in mundo hoc.

Cum admonitione iudicij duas res complectitur, probationem charitatis per fidutiã, & fidutiã per charitatem. Nec petitionem dixeris principij, & circulum inutilem. Nam ubi spiritus, neutra certitudine caret. Dicit igitur primum: Tunc perfecta erit charitas, si non dubitabis, nec timebis prodire ad tribunal magni iudicis: sed leuas caput tuum, & gaudes occurrere, quia uenit redemptio tua. Qui enim male agit, odit lucem: qui bene, prodit. Ita fugit Adam à facie domini.

cæ domini, fugit & Cain profugus super terram, fu-  
 git deniq; impius nemine persequente: quanto magis  
 si tuba archangeli ad iudicium citetur, iam trāsiturus  
 in ignem sulphureum, à uerme immortalī cruciandus,  
 & in carcerem perpetuorum tormentorum includen-  
 dus, incomparabiliter trepidabit? Hei quàm amara  
 erit memoria mortis in oculis illius. Contrà, qui bene  
 agit, amat lucem: & uenit ipse in lucem, ut conspicua  
 fiant opera eius, quod per deum facta sint. Quid au-  
 tem, dicet quis, si hec timeam diem illum, nec desyde-  
 rio eius tenear? Hoc sanè irrisorum est & incredulo-  
 rum, qui dicūt apud Esaiam irridentes: Festinet & ci-  
 tō ueniat opus eius, & uideamus. Et iterum: Percussi-  
 mus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactū.  
 Quid dicemus illis? Cantabimus tibi? non saltabunt.  
 lamentabimus? nō plangent. Nos sanè surdis & saxis  
 canimus: utinam deus illis det aures audiēdi, & filios  
 Abrahæ faciat, ut credāt. Nam si crediderint, impossi-  
 bile quin uel gaudeant uel doleant de eius aduentu, cu-  
 ius tunc summa erit uel beneuolētia uel ira. Quātum  
 enim ad malos, cōparatur iudex leoni, pardo, igni, &  
 dicent: Quis stabit ante faciem iræ indignationis eius?  
 Contrà iusti dicunt: Quemadmodum desyderat cer-  
 uus ad fontes aquarum, ita desyderat ad te anima mea  
 deus. Quando ueniam & apparebo ante faciem dei  
 mei? & iterum: Heu mihi, quia incolatus meus prolon-  
 gratus est. Nihil est quod hi timeant: quandoquidem



nec mortem timent, cuius horas quando ueniat, supp-  
tarent si scirent. Vigilant enim cum uirginibus, expe-  
ctantq; nuptias, & cœnam ac hereditatē. Sed dicitis:  
Quā charitas semper augeri queat, quomodo hic per-  
fecta erit charitas? Soli Christo ea tribuenda uidetur.

Charitas  
perfecta.

Respondeo, charitas hic perfecta dicitur, non quod nō  
possit fieri ardētior, sed quod ex fide profluat, charita-  
temq; Christi perfectā imitetur: quia sicut ille est, ita  
& nos. Ut ille benefacit bonis & malis, & pro nobis  
etiā inimicis mortuus est: ita nos affectus nostros abne-  
gemus, ac nos ipsos crucifigamus, totosq; nos propter  
ipsum utilitati proximorum impendamus. Securè ta-  
lis prodit coram deo, qui sua sectatus non est, sed que  
aliorum. Vnde & de operibus misericordie deus po-  
tissimum in die iudicij rationem exquiret, quod per-  
fectam in nobis uult esse charitatē in proximū: cuius  
& fidei testimonia in talibus uidere licet operibus.  
Quod si iuenerit misericordes, misericors erit: sin nos  
immisericordes inuenerit, erit et ipse durus. Dilige igi-  
tur propter Christum, proximum: & non est quod ti-  
meas uel diabolum, uel iudicium, uel infernum. Fortas-  
sis & hæc expositio congrueret, quod sicut Christus fi-  
duciam habuit, dicens: & ego sciebam quod me semper  
exaudias, ita & nos confidamus, & gratias, sicut ille,  
agamus, & ita simus ut ille. Quod si quis obijceret sic  
desperire timorem: neq; hoc negat Ioannes, qui dicit:

Timor

Timor non est in charitate, sed perfecta charitas eijcit timorem, quoniam timor cruciatum habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate.

Ecce ibi magna est charitas, ubi parum est timoris: ibi parua, ubi multum timoris. Est tamen timoris genus, quod etiam charitatem commendat: ut Esaiæ 33. diuitiæ salutis sapientia & scientia. Timor domini ipse est thesaurus, qui & filio dei tribuitur. Esaiæ 31. nec angeli illo sunt destituti. Et non est nisi reuerentia in rebus diuinis, ut agantur citra diuinam offensam. Et hunc timorem docet charitas, urgens ut sollicitus sim, & quotidie emendatior euadam. Ioannes hic manifeste loquitur de pœnis. Et nos amantes patrem pro magnitudine amoris magnã habemus fidutiam, quod non cõdemnemur ab illo propter Christũ. Vnde qui piũ habent timorem, & à timore pœnæ etiam alieni sunt. Quamuis autẽ quoties nostra respicimus opera, nõ solum timoris, sed & desperationis habemus materiam. Verum eam totam absorbet fidutia, quæ ex charitate manat: quãdoquidem scimus quod Christus iustitia & propiciatio nostra est, & salua in illum fide, nihil mali cõtingere nobis possit. Nolim tamẽ ualde iniquus esse timori, quem uocant, seruilis: quia prodest nonnunquã ut minus peccetur, & initium fiat sapientiæ. Verum quandiu depingimus ante oculos nostros deum terri-

De timore.

IN EPIST. IO. I.

bilem, & bonitatem eius non diligimus, non est perfecta charitas in nobis. Ecce qui sub lege erant, timentes audiebant tonitrua, fulgura, coruscationes, sono buccinæ procedente in prolixius. Dicebatq; populus: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis dominus, ne fortè moriamur. At Moses quia diligebat, fidèter intrabat in caliginē, et dicere audebat: Ve dimitte eis noxam hanc, uel dele me de libro uiuentium. Vides dilectionem? uides & accessum liberum ad deum? Et Paulus qui anathema optabat fieri, idem optat dissolui, & esse cum Christo. Deniq; si cuius diabolica subreperet cogitatio, Fortassis me odio habet deus cum Esau. Apage, ne ueniat tibi hoc in mentem, nisi in peccatis tuis permanere uelis. Sed si tu diligis deum, & propter deū diligis proximum, impossibile est, quod nō diligat te. Vnde dicit Euangelista:

Nos diligimus eū, quoniam ipse prior dilexit nos,

Neesse est ut prior dilexerit nos, & uim se diligēdi nobis concesserit. Et quid est uis diligendi, nisi spiritus sanctus et charitas ipsa? Et quare dedit uim ipsam? ut haberemus fidutiam accedendi ad ipsum. Præterea omnia quæ uidemus uel audimus, omnes minæ, & pœnæ, omnes promissiones & dona, ita interpretamur rectò, qd̄ nos illis deus ad sui amorē pellicere nitatur. Et ita deus saluator omnium, oēs uult saluos fieri: quod  
 si secus

ſi ſecus cadat, noſtra culpa fuerit. Quod ſi quis adhuc  
 tugetur: Quomodo nō diligerem deū? diligo creatu-  
 ram pulchram & amicam, idē; natura: ergo natura  
 deum maxime bonum, maxime diligo. Ita Sophiſtæ  
 ex topicis ſuis argumentantur, quum interim decla-  
 rent ſe inſtinctibus odijs fratres inſectari. Sed audi quo-  
 modo illos conuincat apoſtolus.

Si quis dixerit, diligo deum, & fratrem  
 ſuum oderit, mendax eſt. Qui em̄ non di-  
 ligit fratrem ſuum quem uidet, deū quē  
 non uidit, quomodo poteſt diligere? Et  
 hoc præceptum habemus ab eo, ut qui  
 diligit deum, diligat & fratrem.

Vides illos mēdaces eſſe, et ſua ratiocinatione falli.  
 Si enim natura diligerent deū, diligerēt & fratrem,  
 etiam inimicum: quia ex amore dei nunquam non ſe-  
 quitur & amor proximi. Et eſt mens Ioannis, quomo-  
 do poteſt diligere, id eſt, quomō probari poteſt quod  
 diligat deum, quem non uidet, qui non diligit proxi-  
 mum, hoc eſt, non oſtēdit ſe diligere proximum quem  
 certō uidet. Certum eſt omnes illos hypocritas eſſe,  
 & in conſpectu dei abominabiles. Quod ſi charitas  
 eorum erga fratres probari non poteſt, neq; proba-  
 ri poteſt quod ſeruent præceptum: & ſi præceptum  
 ſeruari ab eis oſtendi nequit, oſtendi etiam nequit cha-  
 ritas: & ſi de charitate controuertitur, quomodo ſi-



IN EPIST. IO. I.

des commonstrabitur? quis deniq; asseret filios dei, uel spiritu dei afflatos? Magna igitur nobis cura sit charitatis, quæ licet non iustificet, demõstrabit tamen nos ad numerum filiorum lucis pertinere. Inter quos & nos numerare dignetur optimus dominus noster Iesus Christus, Amen.

DEMEGORIA XVIII.



Quoniam fraternæ charitatis index ad probandam fidem commendatus est etiam à Christo, qui dicit: In hoc cognoscent omnes quod mei discipuli estis, si mutuam inter uos charitatem habueritis. Operæ precium est & illam ipsam probare: id quod facit apostolus noster geminatione. Primum causam ponit propter quã fratres amandi, nempe ut propter Christũ amentur. Deinde qualiter affectos esse deccat, ne charitas sit suspecta. Primum hac ratiocinatione colligit.

Cap. V.

Omnis qui credit Iesum esse Christum, ex deo natus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eũ qui natus est ex deo. In hoc cognoscimus filios dei, quum deũ diligimus, & præcepta eius seruamus. Hæc est enim charitas dei, ut præcepta eius seruemus.

Ita arguit:

Ita arguit: Omnis qui diligit deum, diligit & filium dei: omnis qui credit Iesum esse Christum, est filius dei: igitur omnis qui diligit deum, diligit et eum qui est filius dei. Et maiorem probat: quia deum diligens seruat eius praecepta, & praeceptum eius est, ut diligantur filij sui. Velim hic internum affectum tuum explore, nec te commentitia & stulta quadam intentione decipias. Non potes autem ignorare, qualis affectus tuus sit in fratres. Vide ut lucerna corporis tui, oculus uel intentio sit simplex, unde & totum corpus fiat lucidum. Simplex erit oculus affectus tui, si rectè tendit ad deum, & non ad humanas cupiditates deslectitur: ad quas si declinat, tenebrosus fit. Vis ergo probare, an sincere diligas fratrem in domino, considera quid in fratre spectes, ne te ipsum, sed deum in illo queras. Nam nisi deus primas habeat partes ex amico, uel ex eo quod in amico obseruas, idolum facis, & erit pro charitate idololatria. Quae non infrequens est. Alij enim alijs de causis amant. Inuenis & amicorum paria admodum celebrata apud paganos. Profundunt & hypocritae nonnumquam eleemosynas: & omnes matres amant pueros: est multis natiua quaedam φιλαυθεςπία. Vulgus amicitias utilitate probat: at Christianus qui angelicam uitam hic meditat, dum oculo mentis puro uersatur in deo, nihilominus hic fratri ministrat in terris. Sicut enim angeli qui semper uident faciem patris, qui est in caelis, ministra-

IN EPIST. IO. I.

torij spiritus sunt propter eos qui hereditatem capi-  
 unt salutis: ita & nos ante omnia diligamus deum, &  
 in eo omnia quae eius sunt, etiam minima, & omnia  
 magis, quae ille magis diligere iussit. Iussit autem, ut  
 fratres plurimum diligamus. Igitur duplici ratione  
 fratrem amore prosequi tenemur: partim quod dei  
 gerit imaginem: uidentes enim filium, ne arbitremur  
 extraneum quempiam uidere: sed quia filius est, plane  
 aliquid patris adesse credendum: partim quia prae-  
 cepto deus nos in hoc adstrinxit. Vide autem quod non  
 contentus est eum nominare fratrem nostrum, sed fi-  
 lium dei: quasi diceret, Ecce fratrem diligendo, filium  
 dei diligis. Neque frustra incepit, Omnis qui credit,  
 &c. Vult enim respectum personarum è pectoribus  
 nostris eximi. Non respexeris, Gallus sit an Germa-  
 nus, Indus an Britannus, sacerdos an laicus, uir an mu-  
 lier, diues an pauper. Omnes unum estis in domino, di-  
 cit Paulus. Neque hoc transi, quantum fidei tribuatur,  
 quae filios dei facit, sicut & in euangelica historia, eos  
 ex deo natos dicit, qui non ex sanguinibus, neque ex uo-  
 luntate carnis nati sunt, sed qui crediderunt. Et cre-  
 dendo nascimur filij dei, & dum nascimur filij dei, cre-  
 dimus. Hic iterum dixerit quis parum equus fidei: Er-  
 go omnes filij dei sumus? Et quis negat Iesum de ma-  
 ria uirgine natum, esse Christum? Ego autè dixerim,  
 quotusquisque hodie credit? Rara fides super terram  
 comparet. Neque hic de fide diaboli mentio est. Non  
 tam

tam parum est dicere, Iesum esse Christum. 1. Corinth.  
 10. Nemo in spiritu dei loquens, dicit anathema Iesus:  
 & nullus potest dicere dominum Iesum, nisi in spiritu.  
 Pauci enim dicunt, dominus meus & deus meus, si-  
 cut de Thoma in explanatione Euangelij audiuitis.  
 Sed audi, an non multi negent Iesum Christum? Iesum **Qui negēt**  
 dicunt anathema esse omnes qui damnant Euangeli- **Christum.**  
 um: in quanto numero illos esse credis? sicut supra di-  
 ctum. Quis est mendax, nisi is qui negat quod Iesus non  
 est Christus? Maledicit qui non toto corde credit, id  
 quod hypocritæ omnes faciunt. Et quantum illorum  
 esse putas numerum? Ex spiritu sancto est Iesum ha-  
 bere pro Christo: hoc est, habere eum pro iustitia, san-  
 ctificatione, sapientia, & redemptione sui. Christus  
 enim ille unctus dei est, qui pro toto mundo facere de-  
 bebat satis. Refugit humana mens, quod filius dei de-  
 buerit pro peccatore nasci, & crucifigi, ac satisfacere.  
 Magnum donum dei, si cuius cordi persuadetur:  
 & credunt hi tantum, quibus pater reuelat. Et quo-  
 modo is qui credit Iesum Christum, natus est ex deo?  
 Nouam & coelestem uitam agit, deposita ueteri: &  
 sicut ante seruauit peccato, ita nunc sanctimonie ua-  
 cat: quod quum humanis uiribus agi nequit, noua rege-  
 neratione conceditur, operante illud spiritu sancto per  
 fidem. Non enim imitatio duntaxat censenda est, qua  
 uitam imitemur Christi, & similitudinem exprima-  
 mus patris qui in caelis: Sed uita etiam est in gene-



ratione hac efficax spiritus, quem per semen uerbi dei accepimus, ut illi crederemus, & credendo operemur. In hoc etiam filij dei sumus, quia sumus adoptio-  
ne quod Christus est naturalis nos fratres dixit, frater noster & filius hominis factus assumpta carne, ut nos fide fratres eius efficeremur, & filij dei. Humilitatem nostram in se trāstulit, ut gloriam suam nobis commu-  
nicaret. Donato enim nobis filio, donata sunt cum eo omnia. Vnde quum hic dicitur, Omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus est ex deo: non solum intelligas Christum, sed omnē qui credidit Iesum esse Christū. Hinc origo sit charitatis, ut deus ametur in proximo, præsertim inhortante in hoc præcepto eius. Est & secundum, quod in charitate requiritur, ut præcepta quæ iusta sunt iuste impleātur, nō inuitus scilicet, sed hilariter, & magna cū alacritate. dicit enim:

Et præcepta eius leuia sunt.

Hoc est, facienda magna cum promptitudine. Mandata enim alioqui uiribus nostris imparia & impossibilia, charitas leuia & portabilia reddit. Nec mireris si dicam grauiamandata. Considera neruos tuos, & ipse pronuncia. Nisi renatus fueris, quomodo operaberis? Parum ne tibi à summis diuitijs ad inopiam transire? crucem amare, inimicis ex animo benefacere? Et testatur Paulus, affectum carnis esse mortem, & legem præstare non potuisse, ea parte qua imbecillis erat per carnē. Christus quoque ipse dixerat: Facilius est

est camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem in regnum cœlorũ. Igitur grauitas quædam illis inest, & leuia tamen sunt. Nam quod apud homines impossibile, deo possibile: quod per se onerosum, leue fit, & facile impletur fide in Christũ. In quem sensum & apud Matthæum inquit: Iugum meum suauis est. Et Paulus ait: Omnia possum in eo qui me corroborat. Quumq; multa grauia percẽsuisset: ut afflictionem, angustiam, persecutionem, famem, & cœtera: subdit, In his omnibus superamus in eo qui dilexit nos. Atq; ita docet leuia mandata charitate fieri, & alacriter suscipi. Non tamen omnino negat esse grauia. Ignaui, & imbelli graue, strenuo autem militi iucundum, pro patria certare. Multos terret itineris asperitas, quod nondum aggressi sunt: quibus postea arridet ubi ingredi cœperint. Ita & quæ alijs uidentur terribilia, & quæ sunt planè aduersa carni, ea Christiano et fide prædito sunt tolerabilia & optata. Cœterum ut uideas apostolum nostrum non omnino negare difficultatem, & opus esse certamine, ut in re ardua, adijcit:

Quoniam omne quod natum est ex deo, uincit mundum. Et hæc est uictoria uestra, quæ uincit mundum, fides uestra. Quis est qui uincit mundum, nisi qui credit quod Iesus est filius dei?

Hoc est: quamuis terribilis sit facies mundi, Chri-

## IN EPIST. IO. I.

stianus tamē, quia filius est dei, & natus ex deo, uictor  
 est rerum maxime terribilium, contemnit diuitias, ho-  
 norem, delicias, uitam: nō timet inopiā, ignominiam,  
 crucem, mortem. Habet enim intra se deum, Christum  
 qui uicit mundum, & uincit etiam per eum. Christi-  
 ani, utpote imperterriti ac triumphatoris uox est: Do-  
 minus illuminatio mea, & salus mea, quē timebo? do-  
 minus protector uitae meae est, à quo trepidabo? Nō ti-  
 mebo, si consurgant aduersum me castra. In domino  
 transgrediar murum. Et ut uideas eum non de simpli-  
 ci fide loqui dum dicit, Hæc est uictoria uestra: dicere  
 uult, Si habueris fidem, erūt tibi omnia facilia, omnia  
 uinces, omnia poteris. Et sine fide nemo arduum quip-  
 piam conficit. Ecce auferuntur opes habēti fidem, &  
 tolerat: credit enim & expectat æternum thesaurū,  
 imò iam possidet. In exiliū pellitur, & ridet, alterius  
 gloriosioris ciuitatis se municipē nō ignorans. Occidi-  
 tur, & gratias agit deo, uidens aperiri sibi cœlorum  
 portas. Et quid illi difficile esse poterit, qui & mortē  
 contemnit? His rationibus charitas erga proximum  
 examinanda, nempe si deum in illo obserues, & si leto  
 animo ad opera prosilias charitatis et: si hæc nō defue-  
 rint, neq; dilectio dei deerit, & consequenter, neq; à  
 spiritu dei alienus eris, neq; ab aduentu domini time-  
 bis: sed ut filius dei & frater iudicis tutus in conspe-  
 ctu domini comparebis. Quod nobis omnibus miseri-  
 cordia Christi concedatur, Amen.

DEMEGORIA



**I**N certamine illo graui, quod aduersus mūdum, & spirituales nequitas in caelestibus gerimus, scutum fidei Paulus quidem assumere iubet, sicut & Ioannes dicit: Hæc est uictoria uestra, quæ uincit mundum, fides uestra. sicut heri docuimus. At diabolus mille artibus machinatur, si nos exarmare ualeat, idq; clācularijs insidijs. Non enī apertè ante idolorū aras, quæ Christi gratia est, Christum abiurare, neq; ad impietatem blasphemantium Christū non esse deū, accedere cogimur. Nec dæmō ad hæc incitat: scit enim nunc horribiliores blasphemias, id genus, quàm ut eis accommodemus aures: sed dolis quibusdam latenter efficit, ut fidei scutum sponte reijciamus: quod fit nonnunquam dum crapulæ dediti, ita mēte incrassamur, ut nihil spirituale adlubescat: nonnunquam ita solliciti de necessarijs huius uitæ sumus, quasi nō sit aliud seculum. Vnde uenit maledicta illa fames, uerbi dei cōtemptus inquam, & quod in intimis affectibus cordis, quod mundanis negocijs addictum est, negatur Christus, quem ore cōfitemur hypocritæ. Igitur Ioannes fidem, quam docuit, nolens fraudibus antiqui hostis subuerti, nūc certissimis testimonijs confirmat, atq; adeò certis, ut nemo sit qui refragari possit Iesum esse Christum, ac filium dei. Obscurior est locus, & attentione indiget. Dicit enim:



Hic est qui uenit per aquam & sanguinem Iesus Christus, non per aquam solum, sed per aquam & sanguinem. Et spiritus est qui testificatur, quoniã spiritus ueritas est. Quoniam tres sunt qui testimonium dant, spiritus, & aqua, & sanguis: & hi tres unum sunt.

Venit, id est, comprobatur uenisse. Tribus autem testimonijs, quamuis plurimis posset, probat Iesum esse Christum, quasi hoc insinuans: in ore duorum uel trium stat omne testimoniũ. Tria autem hæc in unum sunt: hoc est, certius & clarius ad unum conducunt demonstrandum, nempe ad hoc unum quod Christus sit filius dei. Habemus enim testimonia hominum fide dignissimorum ab initio manifestationis Christi: in medio, hoc est morte: & in fine, hoc est postquam est assumptus in cœlum. Et quod Ioannes hic de testimonijs loquatur, certum est ex sequentibus ubi dicitur: Si testimonium hominis accipimus, & cætera. Et quæ testimonia hominum hic ponuntur? Testimonium Ioannis baptistæ primum, qui apud aquam testificatus est Iesum esse agnum dei, esse maiorem quàm ut eius calceamenti corrigiam solueret, esse eum cui pater testimonium præbeat. Magna testis illius authoritas est: neque enim ad gratiã loquebatur. Vnde & à deo in hoc electus fuit, & à Iudæis ipsis refutari nõ poterat. Testimonium

testimonium quoque Centurionis in morte Christi de  
 Christo eximium est, quum ex latere eius lancea mi-  
 litari fosso, magno cum miraculo flueret sanguis &  
 aqua, fierentq; & alia signa multa in caelo & in terra:  
 aëre induente tenebras, sole se obscurante, petris se  
 scindentibus, & alijs contingētibus, dicebat: Verè hic  
 homo iustus erat. Et ut apud Marcum & Matthæū:  
 Hic homo filius dei erat. Accedit ad hæc testimonium  
 apostolorū in die Pentecostes, qui accepto spiritu san-  
 cto uarijs loquebantur linguis. Vnde & Iesum esse  
 Christum ad primū sermonem Petri, mox tria millia  
 testimonium perhibuerunt. Atq; spiritus ille maxime  
 idoneus testis est, ac minime fallax. Verus enim est, ac  
 ueritas. Et his similia testimonia nunquam perhibi-  
 ta sunt. Edoctus est Ioannes uoce patris e caelo affir-  
 mantis esse filium dilectum, uidit' que in specie colum-  
 bæ spiritum. Audit Centurio fortiter clamantem, &  
 quasi bene ualentem inter expirandum, & uidit ad  
 mortem illius moueri elementa, fluere que sanguinem  
 & aquam e latere. Viderunt apostoli linguas igneas,  
 & conspicuā spiritus sancti præsentiam. Fideles erant  
 testes, & efficacibus signis adigebantur, ne aliter testi-  
 ficari possent. Videmur autem hic & præcipuorum  
 sacramentorum admoneri, quæ ad confirmandas con-  
 scientias nostras potissimum data. Et clamant, nisi stu-  
 pidi simus & perfidi, Christum deum. Etenim sacra-  
 mentalibus signis non minus fides inuatur, quam si

maxima miracula Christus in oculis nostris faceret. Nec minus certū nobis signum esse debet fœderis dei nobiscum, quàm Abrahamæ circumcisio, uel Gedeonis in uellere siccitas & pluuia, uel Ezechiae solis retrogradatio. Duobus etenim sacramentis benignam suam erga nos uoluntatem Christus indubitatum esse uoluit, quorum symbola hic nominantur, nempe aqua & sanguis: quæ & ex latere Christi mortui effluerunt nō absq; mysterio. Nempe ut olim Eua ex latere Adæ sumpta, ita & dormiente secundo Adam in cruce, ex latere eius profluxerunt mysteria, quibus nata est ac confirmatur ecclesia. Aqua baptismus, sanguine synaxis, quæ & ad martyrium cohortatur, nobis committitur: & ob hanc quoque rationem non erat fidelibus in uini specie sanguis Christi denegandus: quia ad comonendum multum energiae habet. Igitur diabolo, quoties nos inuadit, & fidem nostram concutere temptat, per illa ita insultare licet. Persequeris ne adhuc crudelis Pharaos? Mare rubrum transiimus, baptizati sumus in mortem Christi, qui promisit nobis baptizatis ac credentibus, salutem in suo nomine: te autem in manu eius potenti, cum omni exercitu perdendum. Sin adhuc à ciuitate Hierusalem & fratrum charitate auocare, & sic in Aegyptum reuocare nititur, in memoriam reducens aquas suas, cepc̄q; & allia, propulsare & affligere illum possumus, dicentes: Panem de caelo nobis dedit deus, omne delectamentum in se habentem

Sacramēta  
baptismus  
& synaxis.

bentem: poculum de petra largitus est abundantissi-  
 mum, quibus adeò inebriamur & incrassamur, ut præ  
 desiderio ciuitatis sanctæ etiam sanguinem effunde-  
 re & mori pro lucro habeamus. Hoc pane & potu  
 dum uegetamur, in itinere deficere non possumus. A-  
 uelli à Christi corpore nolumus, sed testamur nos pro  
 minimis etiam illius membris nostra membra obiectu-  
 ros. Tantum abest, ut ipsi cum aliquo dissideamus, in-  
 uideamus, mordeamus mutuum, fraudibus circun-  
 ueniamus, offendamus: quod tu homicida & odij pa-  
 rens, mundanarum sordium lucro in pectoribus no-  
 stris implantare uelles. Habemus panem uitæ Chri-  
 stum, quem credimus pro nobis mortuum, & creden-  
 do manducamus, manducando satis robusti & ualidi  
 erimus. Non peribit desiderium, & uotum agèdi cum  
 Christo in cœlestibus: non contemptibilis erit pro quo  
 passus Christus. In morte denique securi, fide horum  
 mysteriorum tutari nos poterimus. Veruntamen &  
 tertium adijcitur præ alijs necessarium, spiritus scili-  
 cet, absq; quo frustra, imò in maximam nostram perni-  
 ciam baptizamur, & mensæ participes sumus. Nisi  
 enim ex aqua & spiritu regenerati fuerimus, neuti-  
 quam intrabimus in regnum dei. Christi baptis-  
 mate quod est in spiritu & igni, opus est ut regeneremur: et  
 nõ solū ut regeneremur, sed & ut pascamur. Quomo-  
 do enim pascemur nondum nati? quomodo flagrare  
 mus charitate, nõdum flamma fidei correpti? Spiritus



autem fidei suppetitor est, & testatur ac persuadet  
 cordibus nostris nõ esse nos simulatores, neq; hypocri-  
 tas. Per spiritum ob signati sumus, & arrabonem fu-  
 turæ uitæ accepimus. Spiritus nos animat, dulcibusq;  
 affectibus rapit in deum, ut secunda fiducia in laudes ac  
 gratiarum actiones prorumpamus, & nosmetipsos  
 totos abnegantes, totissimi dei. Et quia deum nemo  
 uidit, neque illi nostris opus est ministerijs, ideo & to-  
 tos nos propter deum ministerio proximorum addi-  
 camus. Vides quomodo fides nostra hac mira triade,  
 ne præualeat aduersus nos satan, roboretur? Alius hic  
 fortassis intelligeret nomine spiritus confirmationem  
 uel impositionem manuum per apostolos: mihi nunc  
 uerisimilius uidetur quod dixi. Quantũ ad sacramen-

De nume-  
 ro sacramē-  
 torum.

torum attinet numerũ, equidem non contenderim. His  
 tantum quæ diximus, promissio Christi facta, qua sola  
 tutò confidimus. Tantum de illis admonuerim. Sed  
 nunc redeamus ad ea quæ Ioannes scribit, qui primæ  
 expositioni uerbis illis accedit.

Si testimonium hominum accipimus,  
 testimoniũ dei maius est, quia hoc testi-  
 monium dei est.

In alijs rebus satisfaciunt nobis hominum testimo-  
 nia, qui tamen & fallere & falli possunt. De Christo  
 autem non tantum istorũ quos dixi, sed & propheta-  
 rum testimonia, & cõsensum omnium hominum habe-  
 mus &

mus & credimus: quanto magis testimonium dei & spiritus qui in nobis est, euidēs fuerit, ut iam nō propter homines credamus, sicut Samaritanæ dicebant ciues: sed quia ipsi audiuimus, et loquutus est in cordibus nostris, iam non opus est chartis & libris. Maior est qui nobis suggerit, & adstipulatur Christū esse uerum deum, ac saluatorem mūdi. Etiam ipsi in cellam uinariā introducimur, & ad sermonem dilecti liquefcit anima nostra. Ioan. 3. Qui accepit eius testimonium, is nimirum obsignauit, quod deus uerax est. quasi diceret, testimonio dei plus credit quā omnium sigillis. Verē nobis. maius & maximum testimonium dei est. Quid enim certius, maius, inuictius, uerius ueritate ipsa? Homines fallere possunt, deus fallere nō potest. Coelum & terra transibunt, uerbum dei manet in æternum. Aut pascuas recipimus, & triticum reijcimus?

Qui credit in filiū dei, habet testimonium in seipso: qui non credit, mendacē facit deū, quia non credidit testimonio, quod perhibuit deus de filio suo.

Beati credētes, tantum nacti testimonium. Miseri autem increduli, quia nihil eis satisfacit: carent enim interno testimonio. Nihil proficiunt apud illos minæ, Obstinati. plagæ, beneficia, promissiones, consolationes, terrores, exempla, homines & angeli. Nam deus ipse nihil persuadet: & quāuis testatus sit in monte, in Iordane.

item apud turbam facta è cœlo uoce, Illustraui & illis  
strabo: non credunt tamen, sed & ipsum deum menda  
cem faciūt, qui neq; mētitur, neq; mētiri potest. Quid  
amplius facerent? ne paruum peccatum putes deo non  
credere. Non minus enim est, quàm si ex deo faceres  
diabolū. Quod autem sit testimoniū illud, quod habēt  
boni, & quo carēt increduli, ponit Ioannes dicens:

Et hoc est testimonium, quod uitam  
æternam dedit nobis deus, & hæc uita  
in filio eius est. Qui habet filium, habet  
uitam: qui non habet filium dei, uitam  
non habet.

Testimo  
nium infide  
lium.

Compara hoc loco fidelium & infidelium uerba,  
& ex uerbis, quale testimonium intus habeant, cogno  
scito. Infidelium uox est, Edamus & bibamus, cras e-  
nim moriemur. Hoc unum homini datum est. Exiguū  
& fastidio plenum est uita nostræ tempus. Ex nihilo  
nati sumus, & posthac erimus quasi nati nō fuerimus.  
Extinctus cinis erit corpus nostrū, & spiritus diffue  
tur tanquam mollis aër. Venite, fruamur bonis quæ  
sunt. & cetera quæ Sap. 2. legis. Et Zacha. 1. recla  
mant mali contra prophetas: Patres nostri ubi sunt?  
& prophætæ nunquid in sempiternū uiuent? Et Ioan.  
8. dicunt: Abraham mortuus est & prophætæ, & tu  
dicas, Si quis sermonem meum seruauerit, in æternum  
non gustabit mortem. At creduli habētes arrabonem  
future

future uitæ dicere audent: Vitam æternam dedit no- Testimo-  
 bis deus. Dedit enim Christum, qui natus est nobis, ut nium fide-  
 renasceremur in uitam æternam, mortuus est ut uiue- lium.  
 remus, resurrexit ut resurgeremus. Longitudine die-  
 rum replebit nos, ostendet nobis salutare suum. Chri-  
 stus nobis uia est, ueritas ac uita. Christus panis uitæ  
 est, & uerè uita. Et non solum ore loquuntur, sed &  
 nunc experiuntur: & uiuentes nõ moriuntur, & mor-  
 tui uiuunt. Iustorum animæ in manu dei sunt: & si co-  
 ram hominibus tormenta passi fuerint, spes illorum  
 immortalitate plena est. Qui habet filium, inquit, nõ  
 solum habebit in futuro, sed habet in præsentem. Per fi-  
 dem uiuere nunc incipiunt iusti, & moriuntur nun-  
 quam. Oremus & nos dominum, ut hoc potissimum  
 testimonio armati simus contra hostes nostros, & ar-  
 maturam hanc ne abijciamus unquam: sed pugnantes  
 contra illos, in æternum tandem cum Christo, & o-  
 mnibus sanctis gaudeamus, Amen.

## DEMEGORIA XX.



Ppropinquat fini epistola, nec remit-  
 tit sollicitudinem suam Euangelista,  
 uerè implēs quod ad Thessalonicen-  
 ses scriptum: Sicut nutrix fouet pue-  
 ros, ita affectu propensi in uos fui-  
 mus: animo cupiebamus non solum Euangelium dei,  
 sed nostras ipsorū animas uobis impartiri. Ecce enim



IN EPIST. IO. I.

similis est matri, quæ quum in sinum pueri multa infusa derit, succingit illum & admonet, ne infusa amittat. Ita & hic, quum non pauca sint dicta, ne ob eorū multitudinem, memoria quædam elabatur, breui epilogo, more oratorum, quæ diffusius dixerat, sub finem epistolæ complectitur. Quæ igitur sollicitè tradit, sollicitè & audiamus.

Hæc scripsi uobis, ut sciatis quod uitam æternam habetis, & ut credatis in nomine filij dei.

Propter hæc Scripsi, inquit, quia ita erat operæ precium. Nam reticos scripsit quum post tam diligentes admonitiones tot inualuerunt pfit Ioanes. hæreses, in tanta hominum ignauia, & in tanto charitatis frigore, si id officij intermisisssem, quid nõ futurum erat? Et uide quàm multos simul hæreticos uno uersu illo conficiat. Primum enim dicens, Ut sciatis: uult nos esse certos, & scire nos esse in gratia, modò fideles simus. In quo nonnulli scholasticorum nostrorum nobis non assentiuntur, dicentes, nos ignorare quando simus in charitate: & ij, nõnne cum argumento huius epistolæ & epistola tota pugnant? imò cum omni scriptura. Certi de Et summum hominis bonum auferunt, pacem inquam, gratia quam se daturum promisit Christus, quæ nimirum est Christi. si pacatæ fuerint consciētia. Quandiu autem de Christi gratia & beniuolētia dubitamus, ubi nam pax illa erit? Quid aliud in corde hominis relinquitur, quàm fluctuatio?

fluctuatio? Et quid agimus, quàm quod maxime increduli? Quid ita parit ignauiam & odium dei, quàm suspicari te inuisum deo? Quæ gloriatio, ait, nostra erit? At periculum est, aiunt, ne fallamur: uerũ falli potest impius, sed fidelis minime. Habet enim probationẽ spiritũ. Proinde dixit, ut sciatis: & ut adhuc certius doceret, addit: Vitam æternam habetis: nũc, inquit, habetis arrabonem, & certam spem, ob signati estis spiritu promissionis sancto, qui est arrabo hereditatis nostræ in redemptionẽ acquisite possessionis, in laudem gloriæ ipsius. Et iterum simul nos suscitauit cum eo, & sedere fecit in cœlestibus. Et tanta quidem nobis promissa sunt: opus autem nostrũ quod? Vt credamus in nomine filij eius. Io. 6. Hoc est opus dei, ut credatis in eum, quem misit ille. Hæc Christianorum iustitia est, fide iustificari, fide iustificatos uiuere, & pacem habere. Taceat itaque noui Pelagiani, obscurantes quidem gratiam Christi, & irritantes eius laborem ac mortem: operibus autem iustitiam & salutẽ tribuentes, alijs quibus impartiẽtes. Taceant & Ariani, qui Christum creaturam faciunt, & reuera cum Iudæis, filium dei negant: aut quomodo non, quum illum inæqualẽ patri faciant? Præterea adhuc diligentius euangelista commonstrat hanc nostram certitudinem, subdens:

Et hæc est fidutiã, quã habemus apud eum, quod si quid petierimus, audit nos. Et si scimus quod audit nos, quicquid pe

tierimus, scimus quod habemus postulationes, quas petiuimus ab eo:

*Orandum quo modo.* De hoc supra diximus, nec opus est ut repetamus multis. Ipse ipse orandus est, non alij. Orandus autem cum fide, & secundum uoluntatem eius: hoc est, ut ea petamus, quæ sancta & deo digna, non quæ impetrasse doleamus. Et quæ nos orare uult, scitis omnes: nempe ut sanctificetur nomen eius, adueniat regnū, ac cætera quæ scitis. Et uide ne loquacitatem putes, quod toties repetit. Scimus scimus, & fidutiam habemus: omnino certos esse nos uult & absq; hæsitatione, & ita certos, ac si in manibus haberemus quod promittitur. Valde autem signanter dictum est: Secundū uoluntatem eius. Non uult ille odium proximi, non uult phariseum, non uult incredulum: sed remittentē debita proximo, quærentem ac sitientē gloriam dei, nihil de sua bonitate dubitātem. Incredulos enim & tales, ut non iuuat miraculis, ita nec exaudit. Non solum aut debemus precari pro nobis, sed & pro fratribus, maxime autem pro peccatis fratrum: id quod nimirum iuxta uoluntatem domini agitur. Est tamen peccator pro quo non est orandū. Et de hoc in hunc modum docet.

Si quis uiderit fratrem suū peccare peccatum non ad mortem, petet, & dabit ei uitam, peccantibus non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roges.

ut roges, Omnis iniquitas peccatum est,  
& est peccatum non ad mortem.

Sanctum & pium opus est orare pro fratre peccante, tantoq; sanctius, quanto ille infirmior, & nobis magis aduersus. Nam & Christus pro nobis qui tales eramus, precatus est. Cæterū de peccatorum discrimine, super quo multi contendunt, quodnam sit mortale, & quod nō, quid ipse sentiam hic audite. Animaduertamus autem primū quā uariē de peccato ad mortem loqui solemus: ne contentioni occasionē demus, de uerbis magis quā re ipsa digladiantes. Mortale nominamus primū, quod sui natura meretur mortē, si ad seueram diuini iudicij regulam iudicetur, etiamsi non imputetur semper ad mortem, sed condonetur, & nonnunquam etiam remunerari propter adiunctā fidem soleat. Et planē nullum scio opus, quod homo, sapiens adhuc fermentum originalis peccati, proferre queat, quod in conspectu æterni iudicis condemnari non mereatur. Quod & Dauid sensit, dicens: Quia non iustificabitur in cōspectu tuo omnis caro. Et Iob uerebatur omnia opera, & Esaias iustitias nostras immūdas uocat. Et sicut hic dicit, Omnis iniquitas est peccatum: hoc est, in omni transgressione legis est peccatum. Et quis unquam, dic oro, suis operibus impleuit unam legem? Nulla enim nō & concupiscentiā prohibet, qua nō caremus, quandiu hic uiuitur: nulla nō omnes uires

Mortale peccatū tripliciter dicitur.

Quod omnes mortaliter peccamus.



IN EPIST. IO. I.

exigit. Et sic peccata mortalia à uenialibus distingui nequeūt, quamuis satis perspicuū alia grauiora alijs. Mortale item dicimus, quod nō solum meretur, sed & affert mortem, quamuis cōdonetur nōnunquam. Atq; ita mortale est omne peccatum factum extra fidē. Omnis enim arbor mala bonos fructus non producit, & ad incendium pertinet. Et qui non adheret uiti per fidem, is planē bonum fructum non afferet. Ita mortale, quicquid non ex fide: ueniale, quicquid fit in fide, ut est Rhom. 8. Nulla nunc condemnatio est his qui insiti sunt Christo, qui non iuxta carnē uersantur, sed iuxta spiritum. Vbi fides per dilectionem operatur, ibi nihil periculi: ubi incredulitas, ibi manifesta condemnatio. Iustitia Christianis fides est, incredulitas peccatū. Hoc loco nō dubito peccatores multos, in quibus ullū fidei seminarium reliquum, in cōspectu dei gratiores, quā uirgines & elemosynarum datores, qui glorio si uidētur inter ethnicos & homines, eo quod omni fide sunt destituti. Sanē pro his fratribus diligenter precandum, quandoquidē uel ignorantia uel imbecillitate cadunt. Est deniq; mortale grauissimū quod meretur Peccatū in & affert mortem, & condonari nō solet: quale est eo- spiritū san- rum qui semel illuminati sunt, & retrocedunt peccan- ctum. tes in spiritum sanctū, impugnando nō solum Euange- lium & fidem, sed et propter fidē fideles ipsos, de quo Matth. II. Est peccatum in spiritum sanctum, quod nō remittetur neq; in presenti, neq; in futuro seculo. Et de hoc

de hoc uidetur loqui etiam ad Hebræos cap. 6. & 10. His habitis, redeamus ad ea quæ Ioānes apostolus dixit. Et quid uult in prædictis uerbis aliud, quàm ut fiducia nostra in domino, etiã ad aliena peccata abolenda ualeat? Et hinc libenter in eam adducor sententiã, quod ad preces baptizantis, & leuantium puerum in baptismo, originarium peccatum condonetur, & impetretur spiritus sanctus. Nam si precibus nostris alia fratrum delicta possumus tollere, quur non & alienũ illud? tametsi nonnunquam paruam grauitatem, & si dem compatrũ in tanto sacramẽto cernamus. Porro qd' hoc loco, ad asserendũ purgatoriũ quidã colligunt argumentũ: quis non uidet quàm tenuibus nitatur fundamentis? quandoquidẽ de mortali peccato intra hãc uitã Euangelista loquitur. dicit enim, peccare: nõ, peccasse. Est autem genus peccati, in quo nullã nobis dat fidutiã impetrandi ueniam. Non dico, inquit, ut roges. Roges, dicit, quod est minus, si proprie uerbũ exponas, quàm ores. Etiam apud Græcos qui dicunt ἱκετήριον, à uerbo ἱκετάω, quamuis Euãgelistæ frequẽter pro orare usurpent. De hoc peccato, si urgeas uerbum, dicit tantum esse, ut non ausit adhortari, etiam de eo ut interpelles, nedum ut ores. Sed exponamus rogationẽ, ut sit oratio, quod & ipsum ualde graue est. Non quod ullum peccatum sit, quod diuinam bonitatẽ uincere possit: sed quod nec spes, nec fiducia de his sit, quibus omnia cedunt in malum: quandoquidem

Baptizãdi  
paruuli.Purgatori-  
um.

Rogare.

IN EPIST. IO. I.

*impœnitentes manēt, & spiritui agnitæq; ueritati, cui  
 contradici non potest, contradicunt. Ita Hieremie 7.*  
**Pro quibus non orandū** Tu noli orare pro populo hoc, nec assumes pro eis  
 laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non  
 exaudiam te. Nōne uides quid isti faciunt in ciuitati-  
 bus Iuda, & in plateis Hierusalem? Filie colligunt li-  
 gna, patres succēdunt ignem, mulieres conspergūt adi-  
 pem, ut faciant placentas reginæ cœli, &c. Ne uidea-  
 tur hoc mirum quod dicit deus. Idem enim uult deus  
 apud Hieremiam, quod hic Ioannes. Quoniam non po-  
 terat cum fiducia orare, populo nullam agente pœni-  
 tentiam, addit enim & causam. Quin & ipsorummet  
 uictimæ ac ieiunia nō proderant, quia non desistebant  
 à uitijs, per omnia hypocritas agentes, ut Hiere. 9. Et  
 Esaiæ 22. Si dimittatur iniquitas hæc uobis donec mo-  
 riamur. Sunt qui hoc loco (ut Beda) petitionem dicāt  
**Absoluunt & laici.** absolutionem peccatorum, & quod quiuis in leuibus  
 orare possit pro fratribus, & nō item in grauibus, ma-  
 xime ubi à fide deficiūt, & illam impugnant. Illi enim  
 redeuntē maius specimen fidei non fictæ exhibere de-  
 bent. Reijci primū merentur, qui primā irritarint fi-  
 dem. Vix pro illis magna fiducia oramus, qui fidem ita  
 misere prodiderunt. Nec legi aliquos rediisse, qui ex  
 malitia peccarunt in spiritum. Nam qui redeunt si exi-  
 erint ex ecclesia post agnitam ueritatem, comprobantur  
 ignorantia & imbecillitate peccasse, & pro his  
 orandum est. Nam & pro illis orauit Christus, & pro  
 reuerentiā

reuerentia sua exauditus est. Stephanus quoque non orat pro his, qui discesserāt à fide, sed pro lapidatibus qui ad fidem nostram non accesserant. Paulus pro Alexandro arario nō orat, dicens: Multa mala mihi ostendit, reddat illi dominus secundum opera eius, quem & tu deuota: ualde enim restitit sermonibus nostris. 2. Tim. 4. Hoc peccatū fortassis uidit Petrus in Anania & Sapphira. Et Elias in quinquagenarijs, & Eliseus in deridentibus, & caluum se uocantibus, quasi propheta tam spiritus sancti gratia destitutū. Neq; hoc contra charitatē. Vtilius enim illis fuerit mori quàm uiuere: uiuunt enim nō nisi in malū suum, & omnia quæ agūt, male eis cedunt. Cæterū hæc audientes, fratres ac sorores, ne illorum imitemur exemplum, ne tam nostræ quàm aliorum preces pro nobis repulsam ferant: sed ita nos in fide & charitate exerceamus, ut precibus nostris, non nostras solas, sed & fratrum iniquitates abstergamus. Quod nobis sua misericordia donare dignetur Christus, cui gloria in secula, Amen.

## DEMEGORIA XXI.



Vnc tandem perspicuum erit epistolam hanc uerè eleganter ac sapienter scriptam, quum uiderimus arduo & mirabili cœptam exordio, contentamq; multijuga eruditione, in iucundum & felicem desinere finem. Latet autem est finis, non quod fastidium nobis sermonum diui Ioan-



nis: sed quia iucunda & leta in calce docet epistolæ,  
 & quasi finito bello uictor ostendet spolia, & perfecta  
 negotiatione mercator proferat merces præcipuas,  
 quibus exhilaremur. Dicit ergo:

Scimus quod omnis, qui natus est ex  
 deo, non peccat: sed generatio dei cõser-  
 uat eum, & malignus non tanget illum.

Socrates philosophorũ laudatissimus, postquam  
 multos & didicisset & docuisset annos, in hanc tan-  
 dem prorupit uocem: Vnum hoc scio, quod nihil scio.  
 En admirabilẽ uocem. Sed recte ille dixit. Quid enim  
 sciret, qui deum nesciebat? Atqui nos habemus summa  
 quæ nos certò scire iactamus, etiam reclamantibus  
 scholis. Scimus, inquit, nos, & facti sumus docti à deo:  
 neque opus est, ut quis de hoc doceatur à proximo, te-  
 stimonium dei habemus intra nos. Neque hanc uocem  
 gloriosulam quis existimet. Indignum enim et magnæ  
 ingratitude indiciũ, donum dei dissimulare, idq;  
 non testari, præsertim si postulet opportunitas. Glo-  
 rientur alij de scientia astrorum, de notitia herba-  
 rum, de literis, de historijs, de disciplinis: quæ nos ut  
 stultitiam, si diuinis conferantur, fidenter contemni-  
 mus. In hoc nostra gloriatio fuerit, quod agnoscimus  
 dominum. Et quæ sunt illa quæ scimus? Primum sci-  
 mus filios dei non peccare, similes patri non peccan-  
 ti. Dicit autem nõ unum & alterum, sed omnẽ qui na-  
 tus est

tus est ex deo . Et quis est natus ex deo ? Qui credidit in nomine filij eius . Quomodo autē non peccant ? Re-ferunt quidam ad hoc , de quo heri dictum , quod non peccent ad mortem , post uere agnitam ueritatem re-currentes ad uomitum , idola colendo , & fratres persequendo . Quod an hic sentiat , temere affirmare non ausim . Nam quum hæc ad magnam dignitatem filio-rum dei ac fidelium dicantur , non apparet admodum magna dignitas , si quis me dicat nõ sacrilegum , quamuis dicat furem : & non parricidam , quamuis homi-cidam : non peccare ad mortem , quamuis grauiter a-lloqui peccare . Vnde idem mihi uidetur dicendum , quod supra capite tertio : Omnis qui natus est ex deo , peccatum non committit , quoniam semen eius in ipso manet , & non potest peccare . Recapitulatione enim liber finitur . Nihil addamus ergo uerbis , sed locum loco interpretemur , ne quid derogemus gloriæ filio-rum dei . Vincunt enim filij dei peccatum , quæ sanè *Filij dei ui-* magna est dignitas , quod uictores sunt mundi & pec- *ctores.* cati . Nam licet continuo sint in pugna , non tamen profusi succumbunt , neque pugnandi animum abijci-unt , neque peccatum probant . Age , inquis , an non fuit ex deo natus Petrus , cui confessionem non reuelauit caro & sanguis , sed pater cœlestis ? An non fuit natus Dauid ex deo , de quo dicit deus , quod inuenerit ui-rum secundum cor suum ? Et quomodo peccarunt ? Aut non sunt peccata , negatio dei & adulterium ? Quid

IN EPIST. IO. I.

luci ad tenebras? Ceterum ubi lux, ibi non regnant tenebræ: ubi deus, ibi nō regnat diabolus. Verum est. Sed quid si sol iterum aufert radios? nōne redeunt tenebræ? Subtrahit & deus spiritum suum, quādo uult. Noluitq; polliceri præseuerātiā nisi credentibus, ut credentes semper orent pro fide ampliore & perseuerantia: ut stantes in timore, ac semper solliciti ne peccent, dicantq; cum sponsa: Laui pedes meos, quomodo coinquinabo illos? Exui uestem meam, quomodo iterum induam illam? Egressi sumus ex Aegypto, & tyrannidem Pharaonis euasimus, quomodo ad seruiendum regrediemur? Crucifixi sumus cum Christo Iesu, & resurreximus cum eo. Surrexit ille nunquam moriturus, ita & nos nunquam peccaturi. Certabimus ergo quandiu sumus in palestra, semper crucifigentes carnem, semper ueterem deponentes hominem, semper resurgentes, semper induentes hominem nouum. Porro quantum ad diuinam prædestinationem, satis certum quod hi quos deus prædestinauit, hos & uocauit, & iustificauit, & glorificauit, sintq; permanaturi. Verum non est nostrum ad prædestinationem dei spectare, & ociosos uerbum eius contemnere: sed orare debemus pro dono fidei. Quod quandiu habemus, non peccamus peccata diabolica per maliciā, quamuis per infirmitatem & ignorātiā cadere possimus, & grauitē, atq; id sit in bonum filiorum dei, tantum semē fidei nō percat. Generatio enī dei cōseruabit eū: hoc est,

Nos opera  
ri decet iu-  
xta uerbū  
dei absq; re-  
spectu præ-  
destinatio-  
nis.

hoc est, qui genitus est ex deo, seruat seipsum: ne malignus tangat, hoc est, offendat eum. hoc est sicut Psaltes ait: Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponat nocere eum, & cōcidam à facie ipsius inimicos, & odientes eum in fugam conuertam. Quo modo seruabit se? omni studio incumbet ut se seruet, non hoc ut ex Adam natus, sed ut ex deo. Sanctificat enim seipsum, sicut ille sanctus est. Tangere, in scripturis grauem habet significationem, nec minus est quàm affligere. Prouocare potest daemon, affligere non potest. Eos tangit qui caractèrem gerunt anti-christi, nō eos qui ex deo nati. Sequitur et alia dignitas.

Scimus quoniam ex deo sumus: & totus mundus in maligno iacet.

Parum esset, imò tormentum esset, scire alios hac dignitate præditos, & uidere alios ingredi in regnū dei, nos autem excludi. Quid conferret nobis magis, Christū natū esse quàm si thurcana sceretur, nisi nobis natus esset Christus? Vnde inquit, pro NOBIS omnibus tradidit illū. Et hinc scimus eius benignitatē, & nos ex ipso esse, & ex eius ouibus. Magnū autem est scire aliquid nobis datū, & alijs non datū. Ecce totus mundus iacet in maligno. Super faciem uniuersæ terræ sunt tenebræ, at nobis lux est: totus mundus periclitatur, nos securi sumus in Christo: totus mundus perit cum omnibus concupiscentijs suis, & ruit quo-



## IN EPIST. IO. I.

eunque impulerit malignus, imò iacet prostratus & captiuus est. Emphasis est in uerbo, totus, adeò ut ne pueri quidem excipiantur: & quicquid non pertinet ad natiuitatem dei, addictum est natiuitati diabolicæ. Percelluntur hoc loco & Pelagiani, & Neutrales, qui obscurantes gratiam dei, & quosdam nec bonos nec malos somniant. Vide autem quanta dignitas sit, duo illa te scire. Quot reges, quot principes, quot diuites, quot sapientes reliquit deus in sordibus, te autem misericorditer elegit? Non enim nos elegimus eum, sed ipse elegit nos, & eripuit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum charitatis filij dei. Tot millia in deserto mortua sunt: soli ex his qui Aegyptum egressi, Iosue & Caleb, ingressi sunt in terram. Hi erant qui perscrutati terram, confidebant se ingressuros: cohortabantur que ex charitate alios, ut & se intrare posse non desperarent. At hi qui non explorarent, non intrarunt, sed nec exploratores, qui alios non corroborarant. Magno igitur animo sumus, gaudentes & gratias agentes de tanto bono.

Scimus autē quod filius dei uenit, & dedit nobis mentē, ut cognoscamus illū qui uerus est: & sumus in uero, in filio eius Iesu Christo.

Frustra expectant Iudæi Messiam aliū. uenit Christus & carnem ex uirgine assumpsit. Quāta dignitas est illa?

est illa? quale gaudium? Ecce is, quem expectarunt reges & prophetae, in quem prospicere desiderant angeli, qui seculorum conditor est, ille uenit: non misit angelum, neq; archangelum, sed ipse uenit, ut dixit: Ecce qui loquebar, ipse assum. & nobis horum bonorum author fuit. Ipse est qui dedit nobis mentem se & patrem cognoscendi. Non enim natura deum potuimus agnoscere: nam licet ex his quae conspiciuntur, cognoscatur diuinitas, non tamen tantum lumen in nobis est quod sufficiat ad cognoscendum. Vbi non est fides, euidiae sunt cogitationes, nihil certum, & de uno transitur in aliud, & scientia non est scientia. Et quia Christus est dator mentis: qui indiget sapientia, petat à Christo, is sua doctrina & aduentu dabit. Habet enim clauem & aperit, ut cognoscamus illum uerum: hoc est, lumen illud inaccessum: & sumus in uero, hoc est in Christo Iesu. Hic enim uia & ostium est, per quod intramus, & in eo sumus ac manemus incorporati per fidem, facti per eum filij dei: & ipse suscepit peccata nostra, nosq; ab eo iustitiam.

Hic est uerus deus, & aeterna uita.

Erigit hic Christo uictori quasi titulum. Vult dicere: Hic quamuis sit homo propter nos factus, nihilominus tamen est uerus deus: & quamuis sit pro nobis mortuus, est tamen uita aeterna. Ei & non alij debetur omnis gloria, honor & magnificentia. Omne genu in eius nomine flectatur, cui pater omnia subiecit: illius

uoluntati & imperio, qui omnia potest, nemo resistat: illius uerbis qui neminem seducit credamus: ei, qui nos illuminare, uiuificare, gaudijsq; perpetuis beare potest, adheremus. Hic est, de quo in principio epistolae dixi: Quod erat ab initio, quod uidimus, & cetera. Vnum adhuc moneo, quo finem faciam epistolae.

Filioli, cauate uobis à simulacris.

Hoc est, ne conuertamini ad alium, quàm ad illum: certè quicquid deo prætuleris, siue sit aurum, siue honor, siue amicus, siue uenter, siue sapiëntia tuæ rationis, idolum est. & idolis plenus est mundus totus. Non trahimur à tyrannis ad Iouis uel Mercurij statuam: sed non meliores sumus idololatri, nos qui sponte talia deo præponimus. Omnium simulacrorum cultum abolere uenit dominus, ut Esaiæ 2. Eleuabitur dominus solus in die illa, & idola penitus conterentur. Et ruerunt quidem ad aduentum uerbi eius. Verum timeo, ne dicant inimici nostri: Lateres ceciderunt, & quadris ædificabimus. Pro Iouis & Veneris, & Mineruæ agalmatis sexcenta alia sunt inuecta. Noluit nos Christus tam humiles, qui ante lapides & ligna incuruaremur. Proinde & olim, quum adhuc crassa plebs esset, permittebanturq; multa alia, imagines tamen non admittebantur: quanto magis nunc, agnito Christo, qui uult cultores in spiritu & ueritate, adq; altiora subuehit, indignū fuerit aliò quàm ad deum ipsum se conuertere? Nam & carnem suam, uti impedimen-

De imagi-  
nibus &  
idolis.

tum spiritus sancti suscipiendi, in coelum transtulit. De  
 nique fugere ab idolis, est ab omnibus creaturis ad de-  
 um se conuertere. Ne dicamus: Non ergo comedam,  
 non bibam, enecabis me, aut saxum me facies. Nihil ex  
 his prohibetur quæ postulat usus. Idola fugite. Nihil  
 moretur. Hic, inquit, quem uobis demonstraui, uerus  
 deus est, reiectis omnibus alijs, omnes nostræ in illū ui-  
 res conuertantur, in eo fidamus, ipse sit spes nostra, in  
 ipso salui erimus, ipsum in omnibus creaturis suis ame-  
 mus, in omnibus illi seruiamus. Hic est deus, seruiamus  
 ei in ueritate. Hæc sunt, amici, quæ de hac epistola ut  
 commonerem, dominus dedit, & si quid melius habuis-  
 sem, neq; eo ipso uos defraudassem. Faxit idem Chri-  
 stus ut semen hoc in bonam terram ceciderit, ut fide  
 glorificemus deum uerum, frequentibus operū exem-  
 plis uerum erga proximos amorem comprobantes.  
 Det oro Christus ut agnoscamus lumen hoc, & agno-  
 scamus tenebras nostras: agnoscamus & uiam ad pa-  
 trem Christum, et in illa maneamus per fidem: ut ipse  
 faciens opera, maneat in nobis in æternum, Amen.

F  
 I N I  
 S.



*[Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]*

PRAECIPVORVM LOCORVM IN

hiscę Demegorijs contentorum Index. In quo

A, priorem chartę faciē, B uero

secundam denotat.



- Brahę charitas quāta. charta. 73. A  
Absoluunt & laici. 91. B.  
Adhortationes necessarę. 36. B  
Aduentus domini memoria. 37. B.  
Adulatoris conditio. 68. B.  
Affectiones à creaturis alienandę. 33. B  
Ambulandum ut Christus ambulauit. 29. A.  
Ambulare in luce quid. 14. B.  
Ambulare in tenebris quid. 14. A. B.  
Amicus uerè laudat. 68. B.  
Antichristus quid. 38. A.  
Antichristus non est una persona. 38. B.  
Antichristi & Christi comparatio. 42. A.  
Antichristi spiritus. 67. B.  
Antichristi regnum in ipsa ecclesia. 39. B.  
Antichristi regnum ex mendacijs. 41. B.  
Antichristiani acclamandi. 44. B.  
Apostatę à fide qui. 43. A.  
Apostoli quo spiritu scripserint. 7. A.  
Apostolorum doctrina seruanda. 43. B.  
Apostolica cura quę. 20. A & B.

B

Baptismus quomodo peccatum auferat. 17. B.

I N D E X.

- Baptizandi paruuli. 94. A.  
 Bellum an Christianis liceat. 55. A.  
 Blasphemi qui sint. 62. B.

C

- Cain fructus quis. 53. B.  
 Cain quomodo ex diabolo. 53. B.  
 Cain imitatores qui. 55. A.  
 Charitas qualis habenda. 55. B.  
 Charitatis prærogatiua quæ. 27. A & B.  
 Charitas non iustificat. 52. B.  
 Charitas dei est, eius præcepta seruare. 8. A.  
 Charitatis magna nobis cura sit. 80. B.  
 Charitas qualem timorem eijcit. 79. A.  
 Charitatem qui habet, deum habet. 77. A.  
 Charitas non uidetur, sed opus eius. 73. A.  
 Charitatem suam quomodo deus commendat. 74. A.  
 Charitas charitatem parit. 75. A.  
 Charitatis rationes. 31. A.  
 Charitatis & odij differentia. 31. A.  
 Charitatem nos habere an sciamus. 25. A.  
 Charitas perfecta. 78. B.  
 Charitatis quantitas in tentatione probatur. 57. B.  
 Charitas epitome legum & Prophetarum. 55. A.  
 Charitas incipientium & perfectorum. 57. A.  
 Christus quare Iesus dicitur. 17. B.  
 Christus quid nobis sit. 18. B. & 24. A.  
 Christus uerus deus. 95. A.

Christus

## I N D E X.

- Christus solus iustus quomodo sit. 22. B.  
 Christus quare sanctus dicitur. 4. A.  
 Christi patrociniū apud patrem. 23. A.  
 Christi tria testimonia. 84. B.  
 Christum confiteri quid sit. 67. A.  
 Christus qualis iudex. 45. B.  
 Christus diaboli regnum destruxit. 51. B.  
 Christus quomodo in Christianis. 30. A & B.  
 Christum alterum exhibere debemus. 28. A.  
 Christum imitari quomodo oportet. 51. B.  
 Christi & antichristi comparatio. 42. A.  
 Christo quomodo hodie contradicitur. 38. A.  
 Christum qui negant. 43. A B. & 85. A.  
 Christiani ueri & falsi quomodo probantur. 52. B.  
 Christianorum societas cum quo. 8. A.  
 Christianorum uictoria. 69. B.  
 Communio nostra quæ. 14. B.  
 Concilia unde probanda. 62. B. & 67. A.  
 Confiteri Christum quomodo debemus. 67. A & B.  
 Confessio nostra quæ & qualis sit. 19. A.  
 Confitenda nostra, non aliena peccata. 19. A.  
 Conscientiæ probatio. 59. A.  
 Conscientiæ bene moratæ conditio. 68. A.  
 Conscientiæ nostræ testimonium quantum. 57. B.  
 Conscientiæ bonæ bona quæ. 58. A B.  
 Conscientiam mandata hominum non obstringunt.  
 59. B.



I N D E X.

Cordis character sermo est. 70. B.  
Creaturæ quatenus diligendæ. 34. A.

D

Deplorandi qui sint. 55. A.  
Deus charitas est. 72. B.  
Deus lux & ueritas. 12. B.  
Deum quomodo nemo unquam uidit. 75. B.  
Deus se orari iubet, non sanctos. 59. A.  
Dei cognitio unde. 95. A.  
Diaboli simulatio & fraudes. 9. A. B.  
Diaboli exercitus qui. 10. B.  
Diligere quomodo debemus. 56. B.  
Diligendi uis quid. 79. B.  
Diligens fratres quid consequatur. 54. B.  
Dilectio quæ creaturis impendenda. 33. B.  
Discessio qualis. 38. A.  
Doctores quos potius amplectimur. 5. A.  
Doctores præpostere docentes qui. 12. A.  
Doctrina apostolorum seruanda. 43. B.  
Donum dei dissimulare, ingratitude indicium. 92. B.

E

Ecclesiæ nomine, antichristiani se uenditant. 39. B.  
Ægyptij qui sint. 14. A.  
Epistolæ primæ Ioannis scopus. 8. B. & 11. A.  
Episcoporum nostrorum cura qualis. 20. A.

I N D E X.

- Euangelium quomodo amplexandum. 9. B.  
 Euangelica fide demon superatur. 9. A.  
 Euangelij abusus qualis. 9. A.  
 Euangelica pœnitentia quæ. 22. B.  
 Exploratores patriæ qui audiendi. 11. B.

F

- Fides quomodo lumen sit. 30. B.  
 Fide in deo sumus. 27. B.  
 Fidei ueræ certissimum signum quod. 25. A.  
 Fides, rerum ueritatem docet. 33. A.  
 Fides contemptum mundi docet. 33. A.  
 Fides quomodo charitatem gignit. 60. A.  
 Fides quomodo purificat. 49. A.  
 Fidei opus pœnitentia. 50. A.  
 Fidei nomine gloriantes. 10. B.  
 Fides quantum operetur. 24. B.  
 Fides uera actuosissima est. 25. B.  
 Fides quanta efficiat. 69. A.  
 Fides Cain & Abel. 53. B.  
 Fidẽ qui non docent, audiendi nõ sunt. 11. B. & 12. A.  
 Fidelis imitatur Christum. 49. A.  
 Fidutia in Christum qualis habenda. 46. A.  
 Filius dei quomodo mittitur. 73. B.  
 Filij dei dicimur & sumus. 47. A.  
 Filij dei uictores. 93. A.  
 Filij dei quæ reposita sint. 47. B.

I N D E X.

- Filij dei contempti in hoc seculo. 47. A.  
 Filiorum dei conditio. 51. B. & 52. A.  
 Filiorum dei & diaboli opera. 52. A. & 71. B.  
 Filiorum dei & diaboli differentia. 51. B.  
 Filij dei & diaboli graphice depicti. 53. A. & B.  
 Fratribus quæ obligamur. 55. B.  
 Fratres diligens quid consequatur. 54. B.  
 Fraternitatum sectæ improbantur. 63. B.

G

- Gloria nostra qualis & quando apparebit. 48. A.  
 Gloriam ne nanciscamur, duo nos remoratur. 48. B.  
 de Gratia Christi certi sumus. 88. B.

H

- Hæretici à Ioanne taxantur. 10. B.  
 Hypocritæ à Ioanne domantur. 24. A.  
 Homicida quis sit. 55. A.  
 Homines quos audire debemus. 65. A.  
 Hora nouissima quid. 37. A.  
 Humana malignitas. 15. A.

I

- Idola in corde ponere quid. 66. B.  
 Idololatria imaginum. 95. B.  
 Illuminati semel non toti excidunt à fide. 39. B.  
 Indulgentiæ unde probantur. 63. A.  
 Ioannis Euangelistæ laus. 5. A. & B.  
 Ioannes quare scripserit. 91. B.

Ioannes

I N D E X.

- Ioannes quid & quibus scripserit. 32. A.  
 Iudex Christus qualis. 45. A.  
 Iudicij tempore qui non confundentur. 46. A.  
 Iustitiam qui operantur. 46. B.  
 Iustus in quocunq; bono opere peccat. 16. B.

L

- Lex quanta exigit. 49. B.  
 Legem deus in nobis implet. 27. B.  
 Loquenda sunt certa & comperta. 7. A.  
 Lumen fidei efficax. 30. B.

M

- Mandata dei quomodo obseruanda. 25. B.  
 Mandatum nouum & uetus. 29. B.  
 Mandatorum obseruatio, fidei uere signum est. 52. B.  
 Mandata dei, charitate dei implentur. 27. A.  
 Mandata dei sola conscientiam obstringunt. 26. B.  
 Mandata hominũ conscientiam nõ obstringunt. 59. B.  
 Margaritã euangelicam emere. 26. B.  
 Mediator quomodo Christus sit. 23. A. & B.  
 Meditatio mortis. 34. A.  
 Mendax quis dicatur. 42. B.  
 Mensæ benedictio probatur. 77. A. & B.  
 Missa non est sacrificium. 64. A.  
 Mundi contemptum docet fides. 33. A.  
 Mundi tria uitia. 34. B.  
 Mundus, id est creaturæ. 33. B.



I N D E X,

- Mundus quomodo totus in maligno positus. 94. A.  
 Mundum uide in monasterijs. 35. A. B.  
 Mundi concupiscentia transit. 36. A.  
 Mundum qui uincit. 83. B.

N

- Natus ex deo quis sit. 46. B.  
 Natura nostra qualis sit. 16. B. & 17. A.  
 Necessaria nobis duo sunt. 29. A.  
 Non peccare quid sit. 50. B.  
 Numeri mutatio frequens apud prophetas. 68. B.

O

- Obstinati quales. 87. A.  
 Odij & charitatis differentia. 31. A.  
 Odium fraternum quantum malum. 55. A.  
 Odium, multorum malorum occasio. 31. B.  
 Opera bona unde procedunt. 46. B.  
 Operari nos decet iuxta uerbū dei absq; prædestina-  
 tionis respectu. 93. B.  
 Opera nostra omnia peccatum habent. 16. B.  
 Orari deus se iubet, non sanctos. 59. A.  
 Orationis uirtus quanta. 58. B.  
 Orandum quomodo. 89. B.  
 Orandum semper pro uerbi fructu. 40. A.  
 Orandum pro quibus non sit. 91. B.

P

- Patres unde probandi. 62. B. & 63. A.

I N D E X.

- Pauli exemplum nobis proponitur. 26. A.  
 Peccatum in nobis quid sit. 16. B.  
 Peccatum quomodo nos tenet. 17. B.  
 Peccatum originale quare relictum in nobis. 18. A.  
 Peccatum in spiritum sanctum. 90. B.  
 Peccatum mortale tripliciter dicitur. 90. A.  
 Peccata nostra per quem tolluntur. 50. A.  
 Peccatorum nostrorum propitiatio Christus. 21. B.  
 & 22. B.  
 Peccata quomodo. & quomodo nõ plangenda. 22. A.  
 Peccatum Christiano semper cauendum. 20. B.  
 Peccata minima non contemnenda. 49. B.  
 Peccata minima occasio sunt maiorum. 21. A.  
 Peccandi consuetudo abolenda. 21. B.  
 Peccatores omnes homines sunt. 16. A.  
 Peccamus omnes mortaliter quomodo. 90. A.  
 Pelagiani novi qui. 10. B. & 89. A.  
 Pœnitentia euangelica quæ. 22. B.  
 Pœnitentia opus fidei. 50. A.  
 Pœnitentiæ locus nulli denegatur. 21. B.  
 Pœnitentia quæ iniungenda. 20. B.  
 Perseuerantia quàm necessaria. 45. B.  
 Porsonarum respectus à nobis absit. 81. B.  
 Petri error. 67. A.  
 Præcepta dei quæ. 61. A.  
 Præceptum nouum, & uetus quod. 29. B.  
 Præcepta dei leuia sunt, 82. B. & 83. A.

I N D E X.

- Prædicatores præpostere docentes qui. 12. A.  
 Prælatorum malorum peruersitas. 25. B.  
 Promissiones quales à deo habemus. 11. A. & 44. A.  
 Proximi salus quo desiderio promouenda. 8. A.  
 Proximus quomodo diligendus. 81. A.  
 Proximus duplici ratione diligendus. 81. B.  
 Pseudoprophetæ unde. 66. A.  
 Pseudoprophetæ quomodo dignoscuntur. 66. B.  
 & 70. A.  
 Purgatorium unde asseritur. 91. A.

Q

Questiones inutiles quomodo uitandæ. 62. B.

R

- Rogare quid sit. 91. A.  
 Romana sedes hodie qualis. 38. B.

S

- Sacramenta quæ, & quot. 85. B.  
 Sacramentorum usus unde. 9. A.  
 Salutationem quare Ioan. prætermisit in suæ epistolæ  
 exordio. 6. A.  
 Sanctorum merita qualia. 22. B.  
 Sancti omnes orant, Remitte nobis. 17. B.  
 Sancti quando & quæ orauerunt pro nobis. 21. B.  
 Sancti decipi possunt. 65. B.  
 Sanctorum superstitiosus cultus. 23. B.  
 Sanctorum intercessio non necessaria. 22. B.  
 Sanguis Christi emundat nos. 18. A. B.

Sanguis

## I N D E X.

- Sanguis Christi quibus non proſit. 24. A.  
 Satisfactio noſtra quæ. 18. B.  
 Satisfactio noſtra Chriſtus. 21. B.  
 Satisfactio quæ imponenda. 20. B.  
 Scientia noſtra quæ. 92. B.  
 Scire dei beneficia magnum eſt. 94. A.  
 Scripturæ ſcopus. 63. A.  
 Scripturæ quanta fides habenda. 62. B.  
 Scriptura omnes nos peccatores conſtituit. 15. B.  
 & 16. A.  
 Scripturas canonicas condendi cui ius ſit. 7. A.  
 Seductores qui ſint. 51. A. & B.  
 Seruendum quomodo deo ſit. 75. B.  
 Simulachra cauenda. 95. B.  
 Sophiſtarum nugacitas. 80. A.  
 Spes noſtra quæ. 54. B.  
 Spei energia & uis quæ. 49. A.  
 Spiritus quid in nobis facit. 86. B.  
 Spiritus ſanctus ſomniculoſis auferitur. 60. B.  
 Spirituũ diſcrimẽ quomõ cognoscitur. 65. A. 71. B.  
 Spiritus quomodo probãdi ſunt. 61. A. B. & 62.  
 A. B. & 66. B. & 71. B.  
 Spiritus pseudoprophetarũ quõ cognoscũtur. 70. A.  
 Spirituum apparitiones, dæmonum impoſturæ. 61. B.  
 Strategemata Chriſti contra mundum. 35. A.

## T

Tenebræ in hominibus quæ. 30. B. & 31. A.



I N D E X.

- Testimonium dei in nobis. 87. A.  
 Testimonium fidelium. 88. A.  
 Testimonium infidelium. 87. B.  
 Timor domini qualis. 79. A.  
 Timor qualis non est in charitate. 79. A.

V

- Verbo dei omnia probanda. 62. B. & 63. A.  
 Verbum dei quibus auribus percipiendum. 15. A.  
 Verbi dei fames unde. 84. A.  
 Verbi dei contemptores obiurgantur. 71. A.  
 Victoria Christianorum. 69. B.  
 Victoria à deo. 69. B.  
 Victores filij dei. 93. A.  
 Vitæ Christianæ gradus. 27. A.  
 Vnctio nostra interna. 40. B.  
 Vnctionis uirtus & effectus. 41. B.  
 Vnctionis symbolum. chrisma est. 45. A.  
 Vnctio suffraganeorum. 41. A.  
 Vocatio nostra aduertenda. 68. A.  
 Voluntas dei erga nos que. 36. A.  
 Vota monachorum. 64. A & B.


F I N I S.

BASILEAË, IN AEDIBVS AND.  
CRATANDRI, MENSE IA  
NVARIO, ANNO  
M. D. XXV.

L780-D

E R R A T V M.

Charta 14. B. uer. 1. emendat. lege, emundat.





• OCN 17641275

